

**GAVDEAMVS!
CARMINA
VAGORVM
SELECTA IN VSVM
LAETITIAE**



79.1

266



LELAND STANFORD JUNIOR UNIV

Faint, illegible text visible along the left edge of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

GAVDEAMVS!

CARMINA VAGORVM SELECTA
IN VSVM LAETITIAE



STANFORD LIBRARY

LIPSIAE

IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI

MDCCLXXVII

H 0

168322.

ANNAE: ORNATAE

LIPSAE: TYPIS B. G. TEVNERI

I. V. SCHEFFEL

S

Carmina, lasciuae nata o stridore tabernae,
de sicco hospitio iam remigrate domum!

T A B V L A

*Singulorum carminum editiones antehac factas indicabit
W. Wattenbach: Die anfänge lateinischer profaner rhythmien des
mittelalters. Haupt's zeitschr. für deutsches altertum, neue
folge III 3 (1872) s. 469—506.*

GAUDEAMUS

	pag.
1. Gaudcamus. <i>Vid. H. Hoffmanni et G. Schwetschkii Com- mentatiunculas a. 1872 et 1877</i>	1
2. <u>De uagorum ordine. Archipoeta?</u>	3
3. <u>Planctus</u>	6
4. <u>Dies festus hodie</u>	9
5. Domum!	10
6. Ad depositionem noui scholaris. <i>Luthero olim tribuebatur.</i>	11

POTATORIA

7. <u>Treuiri urbis laudes. Carmina burana 181</u>	15
8. <u>Vinum rhenanum. H. Hoffmann Gesellschaftslieder n. 127</u>	17
9. <u>Vinum bonum et suaue. Sequentia</u>	17
10. <u>Meum est propositum</u>	19
11. <u>Bacchi laudes</u>	22
12. <u>Scyphi laus. C. Bur. 178, 2</u>	24

	pag.
13. <u>Bibendi mille causae</u>	25
14. <u>Bibatis!</u>	27
15. <u>Vinum aquae ne iungatur</u>	29
16. <u>Largorum laudes</u>	30
17. <u>Hospes collaudatur</u>	31
18. <u>Laeti faceti concinamus. J. Möser patriot. Phan-</u> <u>tasien III 245</u>	33
19. <u>Archipoetae confessio. Archipoeta</u>	34
20. <u>Actio uini et aquae</u>	42
21. <u>Certamen uini et aquae. Primas</u>	57
22. <u>Rhythmus die diui Martini pronuntiatus. Codrus</u> <u>Vrceus, (opera ed. Venet. 1506)</u>	64
23. <u>Venter deus</u>	71
24. <u>Cum animaduertem</u>	72
25. <u>Ego sum abbas Cucaniensis</u>	73
26. <u>Lauriger Horatius. Archipoetae uestigia. Commersbuch.</u>	74
27. <u>Dulce cum sodalibus. Archipoetae uestigia. Commersbuch.</u>	74
28. <u>In dulci iubilo</u>	201
29. <u>Exhortatio collegarum. H. Stadelmann Spirensis a. 1873</u>	76
30. <u>Flandrensium cantus domesticus (Wollheim)</u>	199

AMATORIA

31. <u>Verni temporis laudes</u>	81
32. <u>Dulce est desipere</u>	82
33. <u>Aestas redit</u>	84
34. <u>Cedit hiems</u>	85
35. <u>Maii laudes. Gualtherus de Insula?</u>	86
36. <u>Laeta Venus uenit</u>	87
37. <u>Ver redit optatum</u>	88
38. <u>Iamiam rident prata</u>	89
39. <u>Iuuenes: senes</u>	90
40. <u>Amor tenet omnia</u>	91
41. <u>Amoris illecebrae</u>	93
42. <u>Puella puero</u>	95

	pag.
43. <i>Ad Lydiam. Gallus poeta. Anthol. lat. Rieseii II p. XLI</i>	96
44. <i>Desiderium amatae</i>	97
45. <i>Ynius desideria</i>	98
46. <i>Nouus amor</i>	100
47. <i>Yeni!</i>	102
48. <i>Yni fauco</i>	103
49. <i>Ludo cum Caccilia</i>	104
50. <i>Ama me fideliter</i>	109
51. <i>Vbi amor, ibi miseria</i>	110
52. <i>Nisi fallar, non falleris</i>	111
53. <i>Ad perfidam</i>	114
54. <i>Solus cum sola</i>	116
55. <i>Luxuriatur amator</i>	117
56. <i>Experire filia</i>	118
57. <i>Peccatricis planctus. C. Bur. 88</i>	119
<i>Pastoralia</i>	
58. I <i>Exiit diluculo</i>	120
59. II <i>Lucis orto sidere</i>	121
60. III <i>Vere dulci mediante</i>	123
61. IV <i>Aestuali sub feruore</i>	125

SEVERA

62. <i>Surge, surge, uigila!</i>	129
63. <i>De conuersione hominum</i>	130
64. <i>Ego quondam filius mundi. Archipoeta?</i>	132
65. <i>Volo resipiscere</i>	135
66. <i>Via regia</i>	136
67. <i>Sic sta, ne iaceas</i>	138
68. <i>Laus praeteriti temporis</i>	140
69. <i>Ecce torpet probitas. Gualtherus de Insula?</i>	143
70. <i>Captiuata largitas</i>	145
71. <i>Dic Christi ueritas</i>	146
72. <i>Flete, Sion filiae. Gualtherus de Insula</i>	149
73. <i>Vtar contra uitia. Gualtherus de Insula</i>	152

	pag.
74. <u>Versa est in luctum cithara mea. Gualtherus de Insula</u>	156
75. <u>O Roma nobilis</u>	159
76. <u>Caesari Augusto (Hlothario): II. Hagen Carmina <i>medii aevi p. 6</i></u>	160
77. <u>De morte Karoli magni planctus. Hrabanus? Du <i>Mérit 1843 p. 245</i></u>	162
78. <u>Ad Caesarem Fridericum. Archipoeta</u>	164
79. <u>Archicancellario. Archipoeta</u>	168
80. <u>Io triumphe. G. Schwetschke ad d. 16. Jun. 1871 . .</u>	171
81. <u>Patri patriae. G. Schwetschke Hatis 3. Fbr. 1872 .</u>	171
82. <u>Rheni custodia. (M. Schneckenburger)</u>	202

IOCVLARIA

83. <u>Iam mutatur animus</u>	175
84. <u>Exul ego clericus</u>	179
85. <u>Heriger. Müllenhoff-Scherer Denkmäler² p. 40 . .</u>	181
86. <u>De presbytero et lupo</u>	182
87. <u>Leporis planctus</u>	186
88. <u>Cycni assati planctus</u>	188
89. <u>Testamentum asini</u>	189
90. <u>Cantus hiulcus</u>	191
91. <u>Excommunicatio pro pileo rapto.</u>	193
92. <u>Iter romanum</u>	194
93. <u>Nos uagabunduli</u>	195
94. <u>De milite eleganti. G. Schwetschke (Ausgew. Schr. Halle 1866 s. 211)</u>	198



Gaudeamus!

1. Gaudeamus igitur,
iuvenes dum sumus!
post iucundam iuuentutem,
post molestam senectutem
nos habebit humus.
2. Vbi sunt, qui ante nos
in mundo fuere?
uadite ad superos,
transite ad inferos:
ubi iam? fuere!
3. Vita nostra breuis est,
breui finietur;
uenit mors uelociter,
rapit nos atrociter
nemini parcetur.

4. Viuat academia,
 uiuant professores!
 uiuat membrum quodlibet,
 uiuant membra quaelibet,
 semper sint in flore!

 5. Viuat et res publica
 et qui illam regit!
 uiuat nostra ciuitas,
 Maecenatum caritas,
 quae nos hic protegit!

 6. Viuant omnes uirgines
 faciles, formosae!
 uiuant et mulieres
 tenerae, amabiles,
 bonae laboriosae!

 7. Pereat tristitia,
 pereant osores!
 pereat diabolus,
 quiuis antiburschius
 atque irrisores!
-

De uagorum ordine.

Cum „in orbem“ cantatur „uniuersum ite!“
sacerdotes ambulant, currunt coenobitae,
et ab euangelio iam surgunt leuitae;
sectam nostram subeunt, quae salus est uitae.

In hac secta scriptum est: „Omnia probate;
uitam nostram optime uos considerate,
contra prauos clericos uos perseuerate,
qui non large tribuunt uobis caritate.“

Marchiones, Bauari, Saxones, Australes,
quotquot estis nobiles, uos precor sodales.
auribus percipite nouas decretales,
quod auari pereant et non liberales.

Nos misericordiae nunc sumus auctores,
quia nos recipimus magnos et minores;
diuites recipimus et pauperiores,
quos deuoti monachi mittunt extra fores.

Recipimus monachum cum rasa corona
et si uenit presbyter cum sua matrona,
magistrum cum pueris, clerum cum persona,
scolarem libentius tectum ueste bona.

6. Secta nostra recipit iustos et iniustos,
claudos atque debiles, fortes et robustos,
florentes aetatibus, senio onustos,
frigidos et Veneris ignibus combustos.
7. Bellosos pacificos, mites et insanos,
Boemos, Teutonicos, Sclauos et Romanos,
staturae mediocres, gigantes et gnanos,
in personis humiles et e contra uanos.
8. De VAGORUM ordine uobis dico iura,
quorum uita nobilis, dulcis est natura,
quos delectat amplius pinguis assatura^{ra}
re uera quam faciat hordei mensura.
9. Ordo procul dubio secta uocitatur,
quam diuersi generis populus sectatur:
ergo hic et haec et hoc ei praeponatur,
quod sit omnis generis qui tot hospitatur.
10. Ordo nostra prohibet matutinas plane.
sunt quaedam phantasmata, quae uagantur mane,
per quae nobis ueniunt uisiones uanae;
si qui tunc surrexerit, non est mentis sanae.

Ordo noster prohibet semper matutinas;
sed statim, cum surgimus, quaerimus pruinas;
illuc ferri facimus uinum et gallinas;
nil hic expauescimus per Hashardi minas.

Ordo noster prohibet uti dupla ueste;
tunicam qui recipit, uadat uix honeste;
pallium mox reicit Decio conteste;
cingulum huic detrahit ludus manifeste.

Quod de summis dicitur, in imis tenetur:
camisia qui fruitur, bracis non utetur;
caliga si sequitur, calceus feretur;
nam qui hoc transgreditur, excommunicetur.

Nemo prorsus exeat ostium ieiunus,
et si pauper fuerit, semper petat munus;
incrementum recipit saepe nummus unus,
cum ad ludum sederit lusor oportunus.

Nemo in itinere contra eat uentis
nec paupertatem ferat uultu, condolentis,
sed spem sibi proponat semper consulentis,
nam post grande malum sors sequitur gaudentis.

16. Ad quos perueneritis, dicatis his, quare singulorum cupitis mores exprobrare: „reprobare reprobos et probos probare et probos ab improbis ueni segregare“.
-

Planctus:

1. Olim nostrum ordinem
principes amabant,
et summi pontifices
ipsum honorabant;
grata priuilegia
gratis nobis dabant
et praeter suffragia
nihil postulabant.
2. Nunc est tributarius
idem ordo factus,
ad communem hominum
sortem est redactus;
seruituti subiacet,
totus est confractus,
pro subuentionibus
ad usuras tractus.

3. Olim dum simplicitas
ordinis uigebat,
nos laudabant homines,
nullus nos laedebat:
collectas ab ordine
nemo requirebat,
sed ordo pacifice
deo seruiebat.
4. Nunc uidentes aliqui
grandes apparatus
equos et familias,
splendidos ornatus,
dicunt: „nisi locuples
horum esset status,
non ualarent ducere
tales equitatus.“
5. Ipsi non considerant,
quantum laboramus,
non ut nos tantummodo,
sed multos pascamus.
superuenientibus
bona nostra damus,
et exinde modicum
nobis reseruamus.

6. Nos sumus in pluribus
similes iumento,
cui datur palea
excusso frumento:
sustentamur etenim
pane et pulmento,
seruato hospitibus
lauto nutrimento.
7. De ista materia
iam non plus loquamur
sed omissis aliis
ad nos reuertamur.
poenas huius sæculi
laete patiamur,
ut bonis caelestibus
frui mereamur.
8. Signum est, quod dominus
non uult nos perire,
qui nos tamquam filios
non cessat ferire.
ipse per hæc tristia
det nos sic transire,
ut ad uera gaudia
possimus uenire.

Dies festus hodie!

1. Tempus hoc laetitiae!
dies festus hodie!
omnes debent psallere,
cantilenas promere:
 2. Ex affectu pectoris
toto gestu corporis;
et scolares maxime
festa colunt optume!
 3. Stilus nam et tabulae
feriales epulae,
et Nasonis carmina
uel auctorum pagina.
 4. Quicquid agant alii
iuuenes amemus
et cum turba plurimum
ludum celebremus.
-

Domum!

1. Concinamus, o sodales!
 eia quid silemus?
nóbile cánticum, dúlce melós „domum
 dúlce „domúm“ resonémus.
 Domum! domum! dulce domum!
 domum! domum! dulce domum!
 dulce dulce dulce domum!
 dúlce domúm resonémus.
2. Appropinquat ecce felix
 hora gaudiorum!
post graue taedium aduenit omnium
 meta petita laborum.
 Domum etc.
3. Musa, libros mitte fessa,
 mitte pensa dura!
mitte negotium! iam detur otium!
 me mea mittito cura!
 Domum etc.
4. Ridet annus, prata rident,
 nosque rideamus!
iam repetit domum Daulias aduena,
 nosque domum repetamus!
 Domum etc.

5. Heus Rogere! fer caballos!
eia nunc eamus,
limen amabile matris et oscula
suauiter et repetamus!
Domum etc.
6. Concinamus, ad penates
uox et audiatur!
Phosphore, quid iubar segnius emicans
gaudia nostra moratur?
Domum etc.

Ad depositionem noui scolaris.

1. Saluete, candidi hospites,
conuiuiumque, sospites,
quod apparatu diuite
hospes parauit, sumite.
2. Mos est cibum magnatibus
condire morionibus:
nos, dum iocamur crassius,
bonis studemus moribus.

3. Lignum fricamus horridum,
crassum dolamus rusticum;
 curuum quod est hoc flectimus,
 crassum quod est deponimus.

4. Beanus iste sordidus,
altis spectandus cornibus,
 ut sit nouus scolasticus,
 prouiderit de sumptibus.

5. Interea dum ludicro
tempus datis spectaculo,
 frontem seueram ponite,
 frontem serenam sumite.

POTATORIA

— e —

Treuri urbis laudes.

1. Vrbs salve régia
Tréuir urbs úrbium
per quam lasciuia
redit ad gaudium,
florescit patria
flore sodalium.

Ref. Her wirt, tragent hêr nuo win,
vrôlich suln wir bî dem sîn.

2. Treuir metropolis,
urbs amoenissima,
quae Bacchum recolis,
Baccho gratissima:
das tuis incolis
uina fortissima.

Her wirt etc.

3. Ars dialectica
 nil probat uerius,
gens tētonica
 nil potat melius;
nec plus munifica
 sua dat largius.
Her wirt etc.

4. Iouis in solio
 coramque superis
fuit iudicio
 concurso Veneris
rosa rosario
 data prae ceteris.
Her wirt etc.

5. Quid est iucundius
 praesigni facie?
rosa rosarios
 decorat hodie;
unde uox laetius
 sonat laetitiae:
Her wirt etc.

Vinum rhenanum.

1. Sequimini o socii
wol her mit an den Rhein!
Laetamini uos ebrii!
da trinkt man guten Wein.
2. Vinum maestis fert gaudium,
macht enge säckel weit,
Mutisque dat eloquium,
von allen sorgen freit.
3. Cum bibo semel bis aut ter
den edlen rebensaft,
Tunc cano musicaliter,
er gibt mir gute kraft.

Vinum bonum et suaue. Sequentia.

1. Vinum bonum et suaue,
bonis bonum, prauis prauae
cunctis dulcis sapor, aue
mundana laetitia!

Aue color uini clari!
aue sapor sine pari;
tua nos inebriari
digneris potentia!

2. O quam felix creatura,
quam produxit uitis pura!
omnis mensa fit segura
in tua praesentia.

O quam placens in colore,
o quam fragrans in odore,
o quam sapidum in ore,
dulcis linguae cingula.

3. Felix homo te plantauit,
qui te uinum nuncupauit;
contra talem qui potauit
nulla sunt pericula.

Felix uenter quem intrabis,
felix lingua quam rigabis,
felix os quod tu lauabis
et beata labia!

4. [Aue sospes in modestis,
in gulosis mala pestis,
post amissionem uestis
sequitur patibulum.

Monachorum grex deuotus,
omnis ordo, mundus totus
bibunt ad aequales potus
et nunc et in saeculum.]

5. Ergo uinum collaudemus,
potatores exaltemus!
non potantes confundemus
in aeterna saecula.
Supplicamus: „hic abunda!
per te mensa fit fecunda,
et nos cum uoce iucunda
deducamus gaudia!

Meum est propositum.

(uid. Aestuans intrinsecus str. 12—19.)

1. Meum est propositum
ad tabernam ire,
ubi sonant tympana,
ubi sonant lyrae.
nullum decet uacuum
tabernam transire,
nisi prius debeat
scyphum deglutire.

2*

2. Meum est præpositum
in taberna mori;
uinum sit appositum
morientis ori.
tunc cantabunt laetius
angelorum chori:
„deus sit propitius
huic potatori.“
3. Poculis accenditur
animi lucerna;
eor imbutum nectare
uolat ad superna;
mihi sapit dulcius
uinum de taberna,
quam quod aqua miscuit
praesulis pincerna.
4. Fertur in conuiuio
uinus uina uinum;
masculinum displicet
atque femininum;
in nētro genere
uinum est diuinum
loqui facit socios
optimum latinum.

5. Vnicuique proprium
dat natura manus:
ego numquam potui
scribere ieiunus;
me ieiunum uincere
posset puer unus;
sitim et ieiunium
odi tamquam funus.
6. Vnicuique proprium
dat natura donum;
ego uersus faciens
bibo uinum bonum
et quod habent purius
dolia cauponum;
uinum tale generat
copiam sermonum.
7. Tales uersus facio,
quale uinum bibo;
nihil possum facere
nisi sumpto cibo.
nihil ualent penitus,
quae ieiunus scribo:
Nasonem post calices
carmine praeibo.

8. Mihi numquam spiritus
poetriae datur,
nisi prius fuerit.
uenter bene satur;
dum in arce cerebri
Bacchus dominatur,
in me Phoebus irruit
et miranda fatur.
-

Bacchi laudes.

1. Bacche, bene uenias
gratus et optatus,
per quem noster animus
fit laetificatus.
Refl. Istud uinum, bonura uinum,
uinum generosum,
reddit uirum curialem,
probum, animosum.
2. Bacchus forte superans
pectora uirorum
in amorem concitat
animos eorum.
Istud etc.

3. Bacchus saepe uisitans .
mulierum genus
facit eas subditas
tibi, o tu Venus!
Istud etc.
4. Bacchus uenas penetrans
calido liquore
facit eas igneas
Veneris ardore.
Istud etc.
5. Bacchus lenis leniens
curas et dolores
confert iocum, gaudia,
risus et amores.
Istud etc.
6. Bacchus mentem feminae
solet hic lenire
cogit eam citius
uiro consentire.
Istud etc.
7. Aqua prorsus coitum
nequit impetrare,
Bacchus illam facile
solet expugnare.

8. Bacchus numen, faciens
hominem iucundum,
reddit eum pariter
doctum et facundum.
 9. Bacche, deus inclite,
omnes hic adstantes
laeti sumus, munera
tua praelibantes.
 10. Omnes tibi canimus
maxima praeconia,
te laudantes merito
tempora per omnia.
-

Scyphi laus.

1. Iste scyphus concauus
bono mero profluus:
si quis bibit saepius,
satur fit et ebrius.
 2. Ex hoc scypho conscii
bibent sui domini,
bibent sui socii,
bibent et amicali.
-

Bibendi mille causae.

1. In taberna quando sumus,
non curamus, quid sit humus,
sed ad ludum properamus,
cui semper insudamus.
Quid agatur in taberna,
ubi nummus est pincerna,
hoc est opus ut quaeratur;
si quid loquar, audiatur.

2. Quidam ludunt, quidam bibunt,
quidam indiscrete uiuunt;
sed in ludo qui morantur,
ex his quidam denudantur:
Quidam ibi uestiuntur,
quidam saccis induuntur;
ibi nullus timet mortem,
sed pro Baccho mittunt sortem.

3. Primo pro nummata uini;
ex hac bibunt libertini:
semel bibunt pro captiuis,
post haec bibunt bis pro uiuis;

- Ter pro Christianis cunctis,
pro fidelibus defunctis
 pro sororibus urbanis,
 pro militibus siluanis.
4. Tum pro fratribus peruersis
 pro monachis dispersis
 pro nauigantibus
 pro discordantibus
 pro poenitentibus
 pro iter agentibus:
 tam pro papa, tam pro rege
 bibunt omnes sine lege.
5. Bibit hera, bibit herus,
bibit miles, bibit clerus,
 bibit ille, bibit illa,
 bibit seruus cum ancilla.
Bibit uelox, bibit piger,
bibit albus, bibit niger,
 bibit constans, bibit uagus,
 bibit rudis, bibit magus.
6. Bibit pauper et aegrotus,
bibit exul et ignotus,
 bibit puer, bibit canus,
 bibit praesul et decanus.

Bibit soror, bibit frater,
bibit anus, bibit mater,
bibit iste, bibit ille,
bibunt centum, bibunt mille.

7. Parum durant sex nummatae,
ubi sic immoderate
bibunt omnes sine meta,
quamuis bibant mente laeta.
Sic nos rodunt omnes gentes,
et sic erimus egentes.
qui nos rodunt, confundantur
et cum iustis non scribantur.

Bibatis!

1. Potatores exquisiti,
licet sitis sine siti,
et bibatis expediti
et scyphorum inobliti:
Scyphi crebro repetiti
non dormiant,
et sermones inauditi
prosiliant.

2. Qui potare non potestis,
ite procul ob his festis;
non est locus hic modestis:
deuitantur plus quam pestis.
Inter laetos mos agrestis
 modestiae,
et est suae certus testis
 ignauiae.
 3. Si quis latitat hic forte,
qui non curat uinum forte,
ostendantur illi portae;
exeat ab hac cohorte:
Plus est nobis grauis morte,
 si maneat;
si recedat a consorte,
 tunc pereat.
 4. Cum contingat te potare,
ita bibas absque pare,
ut non possis pede stare
neque recta uerba dare.
Sed sit tibi salutare
 potissimum
semper uas euacuare,
 fortissimum.
-

Vinum aquae ne iungatur.

1. Dea deo ne iungatur;
deam deus aspernatur;
nam qui Liber appellatur
libertate gloriatur.
Virtus eius adnullatur
 in poculis,
et uinum debilitatur
 in copulis.

 2. Cum regina sit in mari,
dea potest appellari,
sed indigna tanto pari,
quem praesumat osculari.
Numquam Bacchus adaquari
 se uoluit,
nec se Liber baptizari
 sustinuit.
-

Largorum laudes.

1. Iucundemur socii,
sectatores otii!
 nostra pangant ora
 cantica sonora,
ut laudemus dignos laude,
virtuosos et carentes fraude.
 Refl. O et o cum iubilo
 largos laudet nostra contio.

 2. Ad honorem hospitis,
cuius festum colitis,
 canite benignae
 carmen laudis dignae;
maerorem repudiemus
et psallentes omnes intonemus.
 O et o etc.

 3. Inuidos, hypocritas
mortis premat grauitas!
 pereant fallaces,
 et uiri mendaces;
munus qui negant promissum,
puniendi ruant in abyssum.
 O et o etc
-

Hospes collaudatur.

1. Hospes collaudatur,
si abunde datur,
ut bene bibatur:
et hoc propere!
2. Locus generalis,
potus est uenalis,
uendit socialis
illum femina.
3. Pincerna laetatur,
abunde potatur;
melior iam datur:
et hoc propere!
4. Bacchus ad amorem
instigat minorem,
mente rudiorem:
et hoc propere!
5. Hic locus annalis,
festus est natalis,
ubi liberalis
ista regula.

6. Ergo salutamus
uinum! tunc cantamus:
„Te deum laudamus!“
et hoc propere!

 7. Nos qui propinamus
et uina portamus,
prius quam bibamus,
benedicamus.

 8. Bacchus est suauis,
at fit saepe grauis
bibenti sub cauis
ac immodice,

 9. Proin non omittatur!
lautius bibatur!
dignius mittatur!
et hoc propere!

 10. Ergo nos ludamus,
sortes proiciamus,
laetanter bibamus:
et hoc propere!
-

Laeti, faceti concinamus.

1. Simus hic sedentes
sicut conferentes,
in omnibus gaudentes,
nullum offendentes,
sed laeti faceti concinentes.
2. Hospitem laudemus,
sibi decantemus;
tunc iterum potemus,
secundum conuiuemus,
laeti noceti bibemus.
3. Ergo infundatur!
sic cor iucundatur,
tristitia fugatur,
plausus innouatur,
et laete facete concinatur.
4. Virgo generosa
dei speciosa,
prae ceteris formosa,
paradisi rosa,
sit genti bibenti gratiosa.

Archipoetae confessio.

1. Aestuans intrinsecus
ira uehementi
in amaritudine
loquor meae menti;
factus de materia
leuis elementi
folio sum similis
de quo ludunt uenti.

2. Cum sit enim proprium
uiro sapienti
supra petram ponere
sedem fundamenti,
stultus ego comparor
fluuiο labenti,
sub eodem aere
numquam permanenti.

3. Feror ego ueluti
sine nauta nauis,
ut per uias aëris
uaga fertur auis,

non me tenent uincula,
non me tenet clauis,
quaero mei similes
et adiungor prauis.

4. Mihi cordis grauitas
res uidetur grauis;
iocus est amabilis
dulciorque fauis;
quidquid Venus imperat
labor est suauis,
quæ numquam in cordibus
habitat ignauis.
5. Via lata gradior
more iuuentutis,
implico me uitiiis
immemor uirtutis,
uoluptatis audus
magis quam salutis,
mortuus in anima
curam gero cutis.
6. Praesul discretissime,
ueniam te precor:

morte bona morior,
dulci nece necor;
meum pectus sauciat
puellarum decor,
et quas tactu nequeo
saltem corde moechor.

7. Res est arduissima
uincere naturam,
in aspectu uirginis
mentem esse puram;
iuvenes non possumus
legem sequi duram,
leuiumque corporum
non habere curam.

8. Quis in igne positus
igne non uratur?
quis Papiæ demorans
castus habeatur,
ubi Venus digito
iuvenes uenatur,
oculis illaqueat,
facie praedatur?

9. Si feras Hippolytum
hodie Papiæ,
non erit Hippolytus
in sequenti die.
Veneris in thalamos
ducunt omnes uiae,
non est in tot turribus
turris Alethiæ.
10. Secundo redarguor
etiam de ludo.
frigidus exterius
mentis aestu sudo,
sed cum ludus corpore
me dimittit nudo,
tunc versus et carmina
meliora cudo.
11. Tertio capitulo
memoro tabernam.
illam nullo tempore
spreui neque spernam,
donec sanctos angelos
uenientes cernam,
cantantes pro mortuis
requiem aeternam.

12. Meum est propositum
in taberna mori;
ut sint uina proxima
morientis ori:
tunc cantabunt laetius
angelorum chori:
„sit deus propitius
huic potatori.“
13. Poculis accenditur
animi lucerna,
cor imbutum nectare
uolat ad superna.
mihi sapit dulcius
uinum de taberna,
quam quod aqua miscuit
praesulis pincerna.
14. Vnicuique proprium
dat natura munus:
ego numquam potui
scribere ieiunus;
me ieiunum uincere
posset puer unus,
sitim et ieiunium
odi tamquam funus.

15. Vnicuique proprium
dat natura donum:
ego uersus faciens
bibo uinum bonum
et quod habent purius
dolia cauponum;
uinum tale generat
copiam sermonum.
16. Tales uersus facio,
quale uinum bibo;
nil possum incipere
nisi sumpto cibo,
nihil valent penitus
quae ieiunus scribo;
Nasonem post calices
carmine praeibo.
17. Mihi numquam spiritus
poetriae datur,
nisi prius fuerit
uenter bene satur;
dum in arce cerebri
Bacchus dominatur,
in me Phoebus irruit
et miranda fatur.

18. Loca vitant publica
quidam poetarum,
et secretas eligunt
sedes latebrarum;
student, instant, uigilant,
nec laborant parum,
et uix tandem reddere
possunt opus clarum.
19. Ieiunant et abstinent
poetarum chori,
vitant rixas publicas
et tumultus fori,
et, ut opus faciant
quod non possit mori,
moriuntur studio
subditi labori.
20. Ecce, meae proditor
prauitatis fui,
de qua me redarguunt
seruientes tui,
sed eorum nullus est
accusator sui,
quamuis uelint ludere
saeculoque frui.

21. Iam nunc in praesentia
praesulis beati,
secundum dominici
regulam mandati,
mittat in me lapidem,
neque parcat uati
cuius non est animus
consciis peccati.

22. Sum locutus contra me
quidquid de me noui,
et uirus euomui
quod tam diu foui;
uita uetus displicet,
mores placent noui,
homo uidet faciem
corda patent Ioui.

3. Iam uirtutes diligo,
uitiis irascor,
renouatus animo
spiritu renascor,
quasi modo genitus
nouo lacte pascor,
ne sit meum amplius
uanitatis uas cor.

24. Electe Coloniae,
parce poenitenti,
fac misericordiam
ueniam petenti,
et da poenitentiam
culpam confitenti.
feram quidquid iusseris
animo libenti.

25. Parcit enim subditis
leo, rex ferarum,
et est erga subditos
immemor irarum;
et uos idem facite,
principes terrarum:
quod caret dulcedine
ninis est amarum.

Actio uini et aquae.

1. Cum tenerent omnia
medium tumultum,
post diuersas epulas
et post uinum multum,

postquam uoluptatibus
uentris est indultum,
me liquerunt socii
uino iam sepultum.

2. Et ego in spiritu,
non in carne graui,
raptus sum et tertium
caelum penetraui,
ubi secretissima
quaedam auscultauī,
quae post in concilio
fratrum reseraui.
3. Dum sederet equidem
in excelsis deus,
et coepisset spiritus
trepidare meus,
ecce in iudicio
Thetis et Lyaeus
infrant et alteruter
actor est et reus.
4. Thetis in exordio
multum gloriatur

dicens: „Mihi merito
laus et honor datur.
cum sim, ex qua machina
mundi firmabatur
et super me spiritus
dei ferebatur.“

5. Bacchus ad haec incipit
talia referre:
„mos est prius uilia,
cara post conferre:
sic et deus uoluit
te prius conferre,
et me post, ut biberent
peccatores terrae.“

6. Th. „Meum decus admodum
deus ampliauit,
quando me de puteo
potum postulauit:
de torrente siquidem
attestante Dauid
bibit et propterea
caput exaltauit.“

7. B. „Cum in uite dominus
fructum dedit istum,
uuae nil aquaticum
fecit intermixtum;
ergo qui potauerint
uinum aqua mixtum,
sunt aduersus dominum
uel aduersus Christum.“
8. Th. „Me contentus respuit
Nazareus uina,
cum in me sit posita
uitae medicina;
quod ex euangelica
patet disciplina,
cum sanaret angelus
aegros in piscina.“
9. B. „Tandem si te iugiter
lambat Nazareus,
quam tamen salutifer
sit effectus meus,
patet, cum apostolus
docet atque deus,
ut me propter stomachum
bibat Timotheus.“

10. Th. „Medicinae Naaman
liquerunt humanae,
nec prodesse poterunt
cuti male sanae;
sed uoces propheticae
non fuerunt uanae,
postquam fuit septies
lotus in Iordane.“
11. L. „Caesus a latronibus
Ierosolymita,
uisus a presbytero,
uisus a leuita,
incuratus forsitan
extitisset ita,
ni fuissent uulnera
uino delinita.“
12. Th. „Cum tu causa fueris
intemperiei,
ego sum apposita
tuae rabiei;
quia, sicut legitur,
aquae, non Lyaei,
impetus laetificat
ciuitatem dei.“

13. B. „Tu tanquam uilissima
funderis in planum,
ego, uelut nobile,
mittor in arcanum;
te potat in fontibus
pecus rusticanum,
sed meus laetificat
potus cor humanum.“
14. Th. „Fructum temporaneum
reddit excolenti
lignum quod est proximum
aquae defluenti;
profert fructus segetis
longe uenienti,
prodest aqua frigida
uiro sitiēti.“
15. B. „Satis contemptibilis
et satis egena,
si qua forte sumitur
sine uino cena:
non exterret homines
paupertatis poena,
cum me promptuaria
sint eorum plena.“

16. Th. „Primam partem fidei
ego reseraui,
quando dei filium
in Iordane laui;
et figuras ueteris
legis consummaui,
cum de suo latere
foras emanauit.“
17. B. „Ad baptismi gratiam
uenit per me reus;
per me multos homines
iungit sibi deus;
nec fuit, ut legitur,
aqua, sed Lyaeus,
de quo dixit dominus:
hic est sanguis meus.“
18. Th. „Ego pulchritudinis,
ego claritatis
mater sum, et omnibus
offero me gratis;
ego pratis aufero
pestem siccitatis,
desuper cum intonat
deus maiestatis.“

19. *B.* „Quantumcumque sapidus,
quantum quoque carus,
sine uino traditus
cibus est amarus;
tuo gaudet poculo
pauper et auarus,
sed calix inebrians
o quam sum praeclarus!“
20. *Th.* „Ego flammis tempero
solis in pruinis,
potum do uolucris,
opem molendinis,
et mundum circueo
fluctibus marinis,
ubi sunt reptilia
quorum non est finis.“
21. *B.* „Ego de palmitibus
in torcular iui,
et exinde uegetans
uentrem introiui,
uasculorum genera
multa pertransiui,
et in potatoribus
requiem quaesiui.“

22. *Th.* „Ratio confunditur,
oculi caecantur
his, qui tuis potibus
nimis immorantur;
blande dum ingrederis,
exta mordicantur,
et uelut a reguli
morsu uenenantur.“
23. *B.* „Potus tuus pestifer,
est et uenenatus,
nisi sit prophetiae
sale dulcoratus.
in me tu uilissimus
potus es mutatus,
cum fuit ad nuptias
Iesus inuitatus.“
24. *Th.* „Per te Noë femora
dormit denudatus,
unde male dicitur
irridendo natus;
per te mundo prodiit
partus infamatus,
cum fuit in montibus
Loth inebriatus.“

25. *B.* „Tu decepatrix omnium,
quibus, dum te praestas
placidam, post fluctibus
subditis infestas;
rogat super alias
Dauid res honestas:
ne demergat, inquiens,
aquae me tempestas!“
26. *Th.* „Prohibetur homini
Pauli disciplina
uinum, ut luxuriae
turpis officina;
nulla uirtus colitur,
ubi regnant uina,
quibus lege trahitur
prudens a diuina.“
27. *B.* „Vitium luxuriae
tibi coaptatur,
cum incesto filio
Jacob imprecatur,
qui fusus ut aqueus
liquor increpatur,
dum per eum patrius
torus maculatur.“

28. *Th.* „Ego sapientiae
sum assimilata,
cuius alma pectora
fonte sunt potata,
qua quæ semel fuerint
corda fecundata,
non affliget amplius
sitis iterata.“
29. *B.* „Sponsus sponsae numerans
singula decora,
ut amborum osculo
coniungantur ora,
uinum super alia
bona potiora
ponit quæ sunt uilia,
sponsae meliora.“
30. *Th.* „Ad caelestis speciem
ego trinitatis
una sum de testibus
terrae commendatis
unde fons exprimitur
per me karitatis,
in uitam exiliens
sempiternitatis.“

31. *B.* „Perquam dies gratiae
gentibus illuxit,
cum ex uinis uineam
sponsam sibi duxit;
sponsus in uinariam
cellam introduxit,
ubi quo sit ordine
caritas instruxit.“
32. *Th.* „Dextro templi latere
meus est egressus,
per me culpa luitur
si quis est excessus,
actus elemosinae
mystice concessus
est mihi, quo criminum
ignis est oppressus.“
33. *B.* „Virtus per te siquidem
uitae figuratur,
sic per me compunctio
cordis designatur,
quod deo uirgineus
pudor geminatur,
cum reus conteritur
et iustificatur.“

34. *Th.* „Si qui falsos hactenus
coluerunt deos,
si renasci faciunt
se per fontes meos,
rex in caelo respicit
et absoluit reos,
nec qui caelos habitat
irridebit eos.“
35. *B.* „Ex uino praedicitur
hostia reorum,
in uino diluitur
stola beatorum,
uinum Iacob additur
pro summa bonorum,
uinum tandem bibitur
in regno caelorum.“
36. *Th.* „Laudem meam placide
quisquis intuetur,
calix aquae frigidae
penset, quid meretur.
super caelos legitur
uinum: ergo detur,
quod ex uini meritis
nusquam superetur.“

37. *B.* „Vitis non deseruit
uinum, ut regnaret,
uinum hic praeposuit
qui non commutaret,
uinum sponsus miscuit,
cum sponsa praeparet,
aquam uenter respuit,
mox fractus probaret.“
38. *Th.* „Israel cum duceret
se compendiose
seruitutis uinculo
contumeliosae,
separauit dominus
me miraculose,
ut cantarent canticum
deo gloriose.“
39. *B.* „Vini, uir, miraculum
(noli obaudire)
securos et nobiles
reddit suos mire:
mutis eloquentiam,
contractis salire
dat, et inter uerbera
facit non sentire.“

40. Si quis causa qualibet
cessat a Lyaeo,
non resultat canticum
neque laus ab eo;
si refectus fuerit
tandem potu meo,
tunc decantat: „Gloriam
in excelsis deo.“
41. Ad hanc uocem auibus
ecce concitatis,
quasi rationibus
uini comprobatis,
inclamatur fortius
uocibus elatis:
„In terra pax omnibus
bonae uoluntatis.“
42. Quorum ecce uocibus
tandem post examen
excitatus extuli
somnia uelamen,
et laudauit consonans
patrem, natum, flamen,
terminans in gloria
dei patris. Amen.
-

Certamen uini et aquae.

1. Denudata ueritate
succinctaque breuitate,
ratione uaria,
dico quod non copulari
debent, immo separari,
quae sunt aduersaria.
2. Cum in scypho reponuntur,
uinum aqua coniunguntur,
talis coniugatio
non est bona, nec laudari
debet, immo nuncupari
melius confusio.
3. Vinum sentit aquam secum;
dolens inquit: „Quis te mecum
ausus est coniungere?
surge, exi, uade foras:
nec eodem loco moras
mecum debes facere.
4. Vilis et inuerecunda
rimas quaeris, ut immunda
mundi loca subeas.

super terram debes teri
et cum terra commisceri,
ut in luctum transeas.

5. Mensa per te non ornatur;
nullus homo fabulatur
in tui praesentia;
sed qui prius est iucundus,
ridens uerboque facundus,
non rumpit silentia.
6. Cum quis de te forte potat,
si sit sanus, tunc aegrotat;
conturbas praecordia;
tonat uenter, surgit uentus,
qui inclusus, non ademptus,
multa dat suspiria.
7. Sed cum uenter est inflatus
tunc diuersos reddit flatus
ex utroque gutture;
et cum ita dispensatur
uenter, aer perturbatur
a corrupto munere.“

8. Aqua contra surgit ita:
„Turpis iacet tua uita
in magna miseria;
qui sunt tui potatores,
uitam perdunt atque mores,
tendentes ad uitia.
9. Tu scis linguas impedire:
titubando solet ire
tua sumens basia;
uerba recte non discernens,
centum putat esse, cernens
duo luminaria.
10. Et qui tuus est amator,
homicida, fornicator,
Dauus, Geta, Birria:
tales tibi famulantur;
tales de te gloriantur
tabernali curia.
11. Propter tuam prauitatem
nullam habes libertatem,
domos tenes paruulas:
ego magna sum in mundo;
dissoluta me diffundo
per terrae particulas.

12. Potum dono sitienti,
ad salutem me quaerenti
ualde necessaria,
quia ueho peregrinos
tam remotos quam uicinos,
ad caeli palatia.“
13. Vinum haec: „Te plenam fraude
probas esse tali laude:
uerum est quod suscipis
naues; post hoc intumescis;
dum frangantur, non quiescis,
et sic eas decipis.
14. Qui non potest te portare
et te totam desiccare,
tendit ad pericula;
tibi credens sic declinat;
ita per te peregrinat
ad aeterna saecula.
15. Ego deus, et testatur
illud Naso; per me datur
cunctis sapientia:
cum non potant me mägistri,
sensu carent, et ministri
non frequentant studia.

16. Non a falso potest uerum
separare, qui me merum
non potaré nititur:
claudus currit, caecus uidet,
surdus audit, mens subridet;
per me mutus loquitur.
17. Per me senex iuuenescit;
per te ruit et senescit
iuuenum lasciuiā:
per me mundus reparatur;
per te numquam generatur
filius vel filia.“
18. Aqua inquit: „Tu es deus!
per te iustus homo reus;
malus, peior, pessimus:
facis uerba semiplena
balbutire; cum lagena
sic fit sciens Didymus.
19. Ego loquar ueritatem:
dono terris ubertatem;
per me uernant omnia;
cum non pluit, exarescunt
herbae, fruges, et marcescunt
flores atque lilia.

20. Mater tua tortuosa
numquam surgit fructuosa,
sed omnino sterilis;
sua coma denudata
serpit humi desiccata,
uana atque fragilis.
21. Fames terras comitatur
me cedente, perturbatur
deflens omnis populus;
pro me Christo Christianus,
Iudaeus atque paganus
preces fundit sedulus.“
22. Vinum ait: „Surdo canis
te collaudans uerbis uanis;
alibi te uidimus:
uniuersis cum sis nota
uilis et immunda tota,
credimus quod nouimus.
23. Tu faex rerum et sentina,
quae descendunt de latrina
suscipis, quod taceo;
sorde fetes et uenena
multa rapis et effrena,
quae narrare nequeo.“

24. Aqua surgit, se defendit
atque uinum reprehendit
de turpi colloquio:
„Quis uel qualis sit, iam patet,
iste deus, et non latet
tali naticinio.
25. Sermo tuus me non laedet;
tamen turpis male sedet
ore dei ratio:
ultra nouem passus fere
nolo uirus ne sufferre,
sed a me proicio.“
26. Vinum ait: „Exornata
uerba sunt post terga data;
non excludis uitium:
multi saepe te biberunt,
qui per sordes perierunt
per diei spatium.“
27. Audiens haec, obstupescit
aqua: deflens obmutescit,
geminat suspiria:
uinum clamat: „Quare taces?
Iam patet quod uicta iaces
rationis nescia.“

28. Ego praesens disputator,
huius cantus terminator,
omni dico populo,
quod haec miscens excretur
et a Christo separetur
in aeterno saeculo.“
-

Rhythmus die diui Martini pronuntiatus.

1. Io Io Io Io
 Gaudeamus io io,
 dulces Homeriaci.

2. Io Io
 noster uates hic Homerus,
 dithyrambi dux sincerus,
 pergraecatur hodie.

3. Io Io
 haec est illa bona dies
 et nouata laeta quies
 uina sitientibus.

Io Io

4. nullus metus nec labores,
nulla cura nec dolores
sint in hoc symposio.

Io Io

5. uultis mecum iam potare?
et Lyaeum exaltare,
dulces Homeriaci?

Io Io

6. qui potare cupit mecum,
licet, uerum portet secum
uina plenis utribus.

Io Io

7. ecce tibi Trebulani
apportamus et Albani
centum plenos urceos.

Io Io

8. sed quis nobis ministrabit,
et quis praesto uinum dabit
dulce sitientibus?

Io Io

9. hic habemus Thomasinum
cognoscentem bonum uinum
primo uisu subito.

Io Io

10. hic ridendo propinabit
et bibendo prouocabit
omnes Homericos.

Io Io

11. audi bone Thomasine,
graece bibens et latine,
tuum fac officium.

Io Io

12. est iam tempus ut potemus
et post potum sic oremus:
deflectamus genua.

Io Io

13. si potastis, iam leuate,
et crateras coronate,
ut bibatis iterum.

Io Io

14. felix est, ter felix, quater,
cui dat potum Bacchus pater
de spumanti cantharo.

Io Io

15. ne lucernae extinguantur
et potantes moriantur,
date nobis oleum.

Io Io

16. Vos Germani, uos Hispani,
uos Insubres, uos Britanni,
bibite pro uiribus.

Io Io

17. sed uos rogo dum potatis
ter et quater, uideatis,
ne frangatis Vreum.

Io Io

18. omnes fortes sunt uinosi
et potantes animosi,
dicit Aristoteles.

Io Io

19. omnis doctor, omnis rector
Bacchi patris sit protector
in aeterna secula.

Io Io

20. dulce dulci misceatis,
ex hoc in hoc faciatis,
ut potetis dulcius.

Io Io

21. Bacche, uatum fortis pater,
et qui solus es bimater
et formosus diceris:

Io Io

22. qui delphinos, amatores
puerorum et potores,
feris misces lyncibus:

Io Io

23. tecum ciuem Lampsacenum
rogo ducas et Silenum
Bacchasque thyrsigeras.

Io Io

24. et te prope sit Potina,
quae dat potum in culina
prima cunctis pueris.

Io Io

25. temptat Bacchas Ithyphallus,
malus caper, malus gallus
Aha! nimis turpiter.

Io Io

26. bibe quantum uis, Priape,
sed honestam partem cape,
ne perturbes gaudia.

Io Io

27. bibe, bibe, bibe, bibe,
tu qui sapis, bibe, bibe,
dum Lyaeus imperat.

Io Io

28. sed iam potrix turba tace,
et tu, Codre, talos iace
sub bibendi arbitro.

Io Io

29. quod iecisti canes ternos:
bibe, bibe, bibe ternos
iam Falerni calices.

Io Io

30. tu iecisti senionem:
bibe, bibe bactrionem
Trebulani ueteris.

Io Io

31. Codre, caput tibi fumat:
ne quis ignis te consumat,
stingue mero citius.

Io Io

32. et uos, mei combennones,
eleuate bactriones,
ut possitis dicere:

Io Io Io Io

33. gaudeamus, io io!
dulces Homeriaci.
-

Venter Deus.

1. Alte clamat Epicurus:
„uenter satur est securus“;
uenter deus meus erit,
talem deum gula quaerit,
cuius templum est coquina,
in qua redolent diuina.
2. Ecce deus opportunus,
nullo tempore ieiunus;
ante scyphum matutinum
ebrius eructat uinum;
cuius mensa et cratera
sunt beatitudo uera.
3. Cutis eius semper plena,
uelut uter et lagena,
iungit prandium cum cena,
unde pinguis rubet gena,
et, si quando surgit uena,
fortior est quam catena.
4. Sic religionis cultus
in uentre mouet tumultus;
rugit uenter in agone
uinum pugnat cum medone;

uita felix otiosa,
circa uentrem operosa.

5. Venter inquit: nihil curo
praeter me; sic me procuro
ut in pace, in id ipsum
molliter gerens me ipsum,
super potum, super escam
dormiam et requiescam.
-

1. „Cum animaduverterem“, dicit Cato:
quis me redarguit de peccato?
laudem et honorem canimus
nostro hospiti, cui bonus est animus.
2. Ergo, fratres carissimi, intelligite
et ad ora pocula porrigite
et si aliquis inebrietur ex uobis,
declinet seorsum a nobis.
3. Si aliquis debibat tunicam,
postea deludat camisiam,
et si aliquid plus de re sapitis,
denudetur a planta pedis usque ad uerti-
cem capitis.

4. Tunc eritis comites apostolorum
quia in omnem terram exiuit sonus eorum,
et in fines orbis terrae uerba eorum.

Chorus:

5. Conuentus iste nobilis
laetetur his conuiuuiis
et mera mente gaudeat
et dignas laudes referat.
6. Summo patri et filio
et hospiti largissimo
.N. tali dicto nomine,
ut longo uiuat tempore.

Ego sum abbas Cucaniensis —
et consilium meum est cum bibulis —
et in secta Decii uoluntas mea est —
et qui mane me quaesierit in taberna —
post uesperam nudus egredietur —
et sic denudatus ueste clamabit:
wafna! wafna!
quid fecisti, sors turpissima?
nostrae uitae gaudia
abstulisti omnia.

Lauriger Horatius.

1. Lauriger Horatius,
quam dixisti uerum!
fugit Euro citius
tempus edax rerum.
ubi sunt o! pocula
dulciora melle,
rixæ, pax et oscula
rubentis puellæ.
 2. Crescit uua molliter
et puella crescit;
sed poeta turpiter
sitiens canescit.
quid iuuat aeternitas
nominis, amare
nisi terræ filias
licet et potare.
-

Dulce cum sodalibus.

1. Dulce cum sodalibus
sapit uinum bonum;
osculari uirgines
dulcius est donum;

donum est dulcissimum
lyra ceu Maronum:
si his tribus gaudeam,
sperno regis thronum.

2. In me Bacchus excitat
Veneris amorem;
Venus mox poeticum
Phoebi dat furorem.
immortalem Phoebus dux
comparat honorem:
uae mihi, si tribus his
infidelis forem.

3. Si tyrannus iubeat:
„ninum dato!“ darem.
„non amato uirgines!“
aegre non amarem.
„frange lyram, abice!“
pertinax negarem!
„lyram da, seu morere!“
cantans expirarem!

Exhortatio collegarum.

(Cantilenae potatoriae exemplum modernum.)

1. Salve mihi collegarum,
eo gratius quod rarum,
dulce iam commercium!
lubens audi, quae nunc cano
plectro non horatiano,
sed ex alto cordium.

2. Studiorum post luctamen
adsit tabernae solamen,
unde recreemini,
tristes curas nunc fugantes,
dulce poculum libantes
animos solemini!

3. Vtra manu uulnerata
Venus sit uel qua prognata
genitrice Hecabe —
has argutias molestas
et sermonibus infestas
Hilaris relinquite.

4. At si tamen ex doctorum
more uos grammaticorum
uultis quid subtilius
quod redoleatque griphos:
quin rimamini, quot scyphos
biberit Horatius?
5. Et cum magnum poculorum
inueneritis haustorum
ab hoc uate numerum:
curae totidem siccare
sit et plene obseruare
hoc exemplum classicum!
6. Docui, quae facienda
sint ad recte instruenda
nostra sodalitia.
nunc tametsi uox est rauca,
attamen subiungam pauca
pia desideria.
7. Absit maestae mentis onus!
adsit humor semper bonus
notionis duplicis!
inter pocula fecunda
sint colloquia iucunda
salibus socraticis!

8. Absit ira atque rixa!
adsit larga et prolixa
animorum caritas,
ut uigescat laeto flore,
claro quasi tincta rore,
semper haec sodalitas!
-

AMATORIA



Verni temporis laudes.

1. Vernum tempus est amoenum
et amoris melle plenum;
quidquid est in mundo renum,
nouum facit ac serenum.
2. In hoc uere uernant flores,
quia tellus dat humores.
puellarum nunc dolores
risus petunt et amores.
3. Iam qui amat et amatur,
illud petit quo laetatur,
et si locus umquam datur,
trahit, palpat, osculatur.

Dulce est desipere.

1. Omittamus studia!
dulce est desipere,
et carpamus dulcia
iuuentutis tenerae.

Res est apta senectuti
seriis intendere,
tenerae sed iuuentuti
adhuc decet ludere.

- Refl. Velox aetas praeterit
studio detenta;
lasciuire suggerit
tenera iuuenta.

2. Ver aetatis labitur,
hiems nostra properat;
uita damnum patitur,
cura carnem macerat.

Sanguis aret, hebet pectus,
minuuntur gaudia,
nos deterret iam senectus,
morborum familia.

Velox etc.

3. Imitemur superos!
digna est sententia,
et amores teneros,
iam uenentur otia!
Voto nostro seruiamus!
mos est iste iuuenum,
ad plateas descendamus
et choreas uirginum!
Velox etc.

4. Ibi quae sit facilis,
est uidendi copia;
ibi fulget mobilis
membrorum lasciuia.
Dum puellae se movendo
gestibus lasciuunt,
consto uidens, et uidendo
me mihi subripiunt.
Velox etc.
-

Aestas redit.

1. Ecce gratum et optatum
uer reducit gaudia,
purpuratum floret pratum,
sol serenat omnia.
Iamiam cedant tristia!
aestas redit, nunc recedit
hiemis saeuitia.

 2. Iam liquescit et decrescit
grando, nix et cetera,
bruma fugit et iam sugit
uer aestatis ubera:
Illi mens est misera
qui nec uiuit, nec lasciuit
sub aestatis dextera.

 3. Gloriantur et laetantur
in melle dulcedinis,
qui conantur, ut utantur
praemio cupidinis.
Simus iussu Cypridis
gloriantes. et laetantes
pares esse Paridis.
-

Cedit hiems.

1. Cedit hiems, tua durities,
frigor abit, rigor et glacies,
brumalis et feritas, rabies,
torpor et improba segnities,
pallor et ira, dolor, macies.

 2. Veris adest elegans acies;
clara nitet sine nube dies,
nocte micant Pliadum facies;
grata datur modo temperies,
temporis optima mollities.

 3. Nunc amor aureus aduenies,
indomitos tibi subicies.
tendo manus: mihi quid facies?
quam dederas, rogo, concilies,
et dabitur saliens arics.

 4. O clara mundi superficies,
uiridi gramine iam redoles!
induitur foliis abies,
picta canit uoluerum series,
prata uirent, iuuenum requies.
-

Maii laudes.

1. Vetus error abiit,
renouantur uetera;
imber enim transiit,
sol serenat aera;
tument ueris ubera,
tellus impraegnatur.

2. Dictus a maioribus
non natu sed ordine
Maius, maior omnibus
in anni uolumine;
a maiorum nomine
sic denominatur.

3. Ille rosis derogat
et rosis abutitur,
qui sua non erogat,
dum rosa recolitur;
large si non agitur,
rosa derosatur.

4. Lasciuire moniti
temporis lasciuia,

non simus solliciti!
cesset auaritia,
cuius in praesentia
uirtus absentatur!

Laeta Venus uenit.

1. O consocii,
quid uobis uidetur,
quid negotii
uobis adoptetur?
laeta Venus ad nos iam ingreditur,
illam chorus dryadum sequetur.
2. O uos socii,
tempus est iucundum,
dies otii
redeunt in mundum;
ergo congaudete coetum laetabundum,
tempus salutantes iniucundum.
3. Venus abdicans
cognatum Neptunum

uenit applicans

Bacchum oportunum,
quem dea prae cunctis amplexatur unum,
quia tristem spernit et ieiunum.

4. Ergo litteris
coetus hic imbutus
signa Veneris
militet secutus;
aestimetur autem laicus ut brutus,
nam ad artem surdus est et mutus.

5. His numinibus
uolo famulari;
ius est omnibus
qui uolunt beari,
in hoc excellente populo scolari,
ut amet et faciat amari.

Ver redit optatum.

1. Ver redit optatum
cum gaudio,
flore decoratum
purpureo.

Aues edunt cantum
quam dulciter!
reuirescit nemus,
cantus est amoenus
totaliter.

2. Iuuenes ut flores
accipiant,
et se per odores
reficiant:
Virgines assumant
alacriter
et eant in prata
floribus ornata
communiter!
-

Iamiam rident prata.

1. Iamiam rident prata, iamiam uirgines
iucundantur, terrae ridet facies.
aestas nunc apparuit
ornatusque florum laete claruit.

2. Nemus reuirescit, frondent frutices;
hiems saeua cessit: laeti, iuuenes,
congaudete floribus,
amor allicit uos iam uirginibus.

3. Ergo militemus simul Veneri,
tristia uitemus, nosque teneri
risus et colloquia,
spes amorque trahant nos ad gaudia.

Iuuenes — senes.

1. Congaudentes ludite!
choros simul ducite!
iuuenes sunt lepidi,
senes sunt decrepiti.
Audi bela mia,
mille modos Veneris
da hizevaleria.

2. Militemus Veneri
nos qui sumus teneri!
Veneris tentoria
res est amatoria.
Audi etc.

3. Iuvenes amabiles
 igni comparabiles;
 senes sunt horribiles
 frigori consimiles.
 Audi etc.
-

Amor tenet omnia.

1. Amor tenet omnia,
 mutat cordis intima;
 quaerit amor deuia;
 amor melle dulcior
 felle fit amarior,
 amor caecus caret pudicitia;
 frigidus et calidus et tepidus,
 amor audax, pauidus,
 fidus est et perfidus.
2. Tempus est idoneum,
 quaerat amor socium.
 nunc garritus auium;
 amor regit iuvenes,
 amor capit uirgines;

uae senectus, tibi sunt incommoda!
tenet me gratissima iuencula,
cura me dulcissima,
pestis inmo pessima!

3. Frigidus et callidus
numquam tibi socius:
dormit dolens saepius
in natura frigidus;
nihil tibi uilius.
Venus tenet iuuenes in gaudio;
sana fit coniunctio, quam diligo;
tuo quid imperio
melius sit nescio.
4. Amor uolat undique,
captus est libidine,
iuuenes, iuenculae
quem secuntur merito.
si quae sine socio,
illa uero caret omni gaudio:
tenet noctis infima sub intimo
cordis in custodia,
fit res amarissima.

5. Amor simplex, callidus,
rufus amor, pallidus
figuris in omnibus.
 amor est placabilis,
 constans et instabilis;
amor artis regitur imperio,
ludit amor lectulo iam clanculo,
 noctis in silentio
 captus amor laqueo.

Amoris illecebrae.

1. Florent omnes arbores,
dulce canunt uolucres,
reuirescunt frutices
congaudete iuuenes!
2. Maeror abit squalidus,
amor adit calidus;
superat uelocius,
qui non amat ocius.

3. Virgo tu pulcherrima,
cum non sis acerrima,
uerba das asperrima,
sicut sis deterrima.
4. Viribus infirmior
ab amore ferior;
uulnera experior:
si non sanas, morior.
5. Quid tu captas, iuuenis?
quaeris, quod non inuenis.
nondum apta Veneris
satis ego ludicris.
6. Mecum quaeris ludere?
nulli uolo iungere,
cum Phoenicè pudice
uitam uolo ducere.
7. Sed amor
durus est,
ferus est,
fortis est;
qui nos uincit iuuenes,
uincat et iuuenulas
ultra modum rigidas.

8. Video
dictis his,
quid tu uis,
quid tu sis,
quod amare bene scis:
et amari ualeo,
et iam intus ardeo.
-

Puella puero.

1. O admirabile Veneris idolum,
cuius materiae nihil est friuolum,
Archos te protegat, qui stellas et polum
fecit et maria condidit et solum.
furis ingenio non sentias dolum;
Clotho te diligat, quae baiulat colum.
2. Saluto puerum non per hypothesim:
serio pectore deprecor Lachesim;
sororum Atropos ne curet haeresim,
Neptunum comitem habeas perpetim,
cum uectus fueris per flumen Athesim.
quo fugis, amabo, cum te dilexerim?

3. Dura materies ex matris ossibus
creavit homines iactis lapidibus.
ex quibus unus est iste puerulus,
qui lacrimabiles non curat gemitus.
cum tristis fuero, gaudebit aemulus.
ut cerua fugio, cum fugit hinnulus.
-

Ad Lydiam.

1. Lydia bella, púella candida,
quae bene superas lac et liliū
albamque, simul rosam rubidam
aut expositum ebur indicum.
2. Pande, puella, pande capillulos
flavos, lucentes ut aurum nitidum;
pande, puella, collum candidum,
productum bene candidis humeris.
3. Pande, puella, stellatos oculos
flexaque supra nigra cilia;
pande, puella, genas roseas
perfusas rubro purpuræ tyriae.

4. Porrige labra, labra corallina;
da columbatim mitia basia.
sugis amentis partem animi;
cor mihi penetrant haec tua basia.
5. Quid mihi sugis uiuum sanguinem?
— . . . — . . . — . . . — . . .
— . . . — . . . — . . . — . . .
— . . . — . . . — . . . — . . .
6. Conde papillas, conde, gemipomas,
compresso lacte quae modo pullulant;
sinus expansus profert cinnama:
undique surgunt ex te deliciae.
7. Conde papillas, quae me sauciant
candore et luxu niuei pectoris,
saeua, non cernis, quod ego languo?
sic me destituis iam semimortuum?

Desiderium amatae.

1. Dum aestas inchoatur
amoeno tempore,
Phoebusque dominatur
repulso frigore:

GAUDEAMUS.

7

2. Vnius in amore
 puellae uulneror,
multimodo dolore
 perquam et atteror.
3. Vt mei miseretur
 et me recipiat
et ad me declinetur
 et ita desinat!

Vnius desideria.

1. Virent prata hiemata
 tersa rabie,
florum data mundo grata
 rident facie.
Solis radio
 nitent, albert, rubent, candent,
 ueris ritus iura pandent
ortu uario.
2. Aues dia melodia
 sonant garrulae,
omni uia uoce pia
 uolant sedulae.

Et in nemore
frondes, flores et odores
sunt, arescunt iuniores
hoc in tempore.

3. Congregatur, augmentatur
coetus iuuenum,
adunatur, collaetatur
chorus uirginum;

Et sub tilia
ad choréas ueneréas
salit mater, inter eas
sua filia.

4. Restat una quam fortuna
dante ueneror,
clarens luna oportuna,
ob quam uulneror,
Dans suspiria;
praelecta, simplex, recta
cordi meo est inuecta
mutans tristia.

5. Quam dum cerno, de superno
puto uigere;
cuncta sperno donec cerno
solam tenere.

Hanc desidero
 ulnis plecti et subnecti
 loco laeto in secreto
si contigero.

Nouus amor.

1. Tempus est iucundum,
 o uirgines,
modo congaudete,
 uos iuuenes!
 O! o! totus floreo.
 Iam amore uirginali totus ardeo,
 nouus, nouus amor est, quo pereo.
2. Cantat philomena
 sic dulciter,
modulans amoena
 perenniter.
 O! o! totus floreo etc.
3. Flos est puellarum
 quam diligo,
et rosa rosarum
 quam ardeo.
 O! o! totus floreo etc.

4. Mea me confortat
 promissio,
 mea me deportat
 negatio.
 O! o! totus floreo etc.
5. Mea mecum ludit
 uirginitas,
 mea me detrudit
 simplicitas.
 O! o! totus floreo etc.
6. Sile, philomena,
 pro tempore,
 surge cantilena
 de pectore.
 O! o! totus floreo etc.
7. Tempore brumali
 uir patiens,
 animo uernali
 lasciuens.
 O! o! totus floreo etc.

8. Veni, domicella,
cum gaudio,
ueni, ueni, bella,
iam pereo.
O! o! totus floreo etc.
-

Veni.

1. Veni, ueni, uenias,
ne me mori facias,
hyria hysria nazaza
trilliriuo.
2. Pulchra tibi facies,
oculorum acies, —
hyria etc.
3. Capillorum series
o quam clara species —
hyria etc.
4. Rosa rubicundior
lilio candidior —
hyria etc.

- 5 Omnibus formosior
semper in te glorior!
hyria etc.
-

Vni faueo.

- 1 De pollicito
mea mens elata
in proposito
uiuuit animata
spei merito;
tamen dubito,
ne spes alterata
cedat subito.

2. Vni faueo,
uni dico stellae,
cuius roseo
basia cum melle
stillant oleo.
in hac rideo,
in ipsius uelle
totus ardeo.

3. Amor nimius
incutit timorem,
amor anxius
suscitat ardorem
uehementius;
ita dubius
sentio dolorem
certo certius.
4. Totus Veneris
uror in camino;
donis Cereris,
sauciatus, uino
parco, ceteris
et cum superis
nectare diuino
fruor Veneris.

Ludo cum Caecilia.

1. Ludo cum Caecilia,
nihil timeatis;
sum quasi custodia
fragilis aetatis,
ne marcescant lilia
suae castitatis.

2. Tantum uolo ludere,
tantum contemplari;
praesens uolo tangere,
tandem osculari;
quintum quod est agere
noli suspicari.
3. Non est florem tangere,
non est res segura;
uam sino crescere
donec sit matura;
spes me facit crescere
laetum reuersura.
4. Gratus super omnia
ludus est puellae
et eius praecordia
omni carent felle:
sunt quae praestat basia
dulciora melle.
5. Amor trahit superos
molliori nexu,
rigidos et asperos
duro frangit flexu;
capitur rhinosceros
uirginis amplexu.

6. Amor trahit superos,
Iouem amat Iuno,
motus praebens cereos
imperat Neptuno;
Pluto premens inferos
mitis est hoc uno.
7. Ludo cum uirginibus,
horreo corruptas
et cum meretricibus
simul odi nuptas:
nam in istis talibus
turpis est uoluptas.
8. Quicquid agant alii,
ergo nos ludamus,
et quem decet fieri
ludum faciamus.
ambo sumus teneri,
tenere ludamus.
9. Ioue cum Mercurio
geminos tenente,
et a libra Venere
Martem expellente
nata est Caecilia,
tauro iam latente.

10. Natus ego pariter
sub eisdem signis;
par pari coniunctus sum
legibus benignis;
par parui ignibus,
par accendit ignis.
11. Si ualeret Zephyrus
istam contemplari,
Aurora Tyndaridem
uellet imitari;
satis quinque cederent
huic exemplari.
12. Si futuram cerneret
Cumbeor(?) amicam,
non dotata Fronesis
cederet lecticam.
illam quaerens coniugem
linqueret antiquam.
13. Solus solam diligo,
sic me sola solum.
non est cui liceat
immiscere dolum;
non in uanum uariant
nostra signa polum.

14. Obicis: ab alio
forsitan amatur,
et quod semel dixerim,
ita reuelatur;
sed, ut dictum ualeat,
mox determinatur.
15. Est hoc uerbum „diligio“
uerbum transitium,
nec est, per quod transeat,
nisi per passium:
ergo cum nil patitur,
nil ualet actium.
16. Qui uult scire diem hanc:
haec est Maio dena,
in qua uirgo passa est;
o quam dulcis poena.
his ad praesens pluribus
gaudeat haec cena.
-

Ama me fideliter.

1. Omnia sol temperat
purus et subtilis,
noua mundo reserat
facies Aprilis.
Ad amorem properat
animus herilis,
et iucundis imperat
deus puerilis.

2. Rerum tanta nouitas
in solemnī uere
et ueris auctorita-
iubet nos gaudere.
Vias praebet solitas,
et in tuo uere
fides est et probitas
tuum retinere.

3. Ama me fideliter,
fidem meam nota,
de corde totaliter
et ex mente tota.

Sum praesentialiter
absens in remota:
quisquis amat taliter,
uoluitur in rota.

Vbi amor, ibi miseria.

1. Dúlce sólum nátales pátriae,
domus ioci, thalamus gratiae,
uos relinquam aut cras aut hodie
periturus amoris rabie
Exul!
2. Vale tellus, ualete socii,
quos benigno fauore colui,
et me dulcis expertem studii
deplangíte, qui uobis peri
Igne!
3. Quot sunt flores in Hyblae uallibus,
quot redundat Dodona frondibus,
et quot pisces natant aequoribus,
tot abundat amor doloribus
Vsque!

4. Igne nouo Veneris saucia
mens, quae pia non nouit talia;
ut fatentur uera prouerbia:
„ubi amor, ibi miseria
Grauis!“

5. Hëu dolor! quam dira praemia!
flamma calet amantes nimia;
noua mittit Venus suspiria;
urgent eam quandoque dulcia
Nimis!
-

Nisi fallar, non falleris.

1. Lingua mendax et dolosa
lingua procax, uenenosa,
lingua digna detruncari
et in igne concremari:
2. Quae me dicit deceptorem
et non fidum amatorem,
quam amabam, dimisisse
et ad alteram transisse.

3. Vnde iuro musas nouem
quodque maius est per Iouem,
qui pro Danae sumpsit auri,
in Europa formam tauri.

4. Sciant deus, sciant dei,
non sum reus huius rei;
sciant dei, sciat deus,
huius rei non sum reus.

5. Iuro Phoebum, iuro Martem,
qui amoris sciunt artem;
iuro quoque te, Cupido,
arcum cuius reformido.

6. Arcum iuro cum sagittis,
quas frequenter in me mittis,
sine fraude, sine dolo
foedus hoc seruare malo.

7. Volo foedus obseruare
et ad haec dicemus, quare:
inter choros puellarum
nihil uidi tam praeclarum.

8. Inter quas appares ita,
ut in auro margarita:
 humeri, pectus et uenter
 sunt formata tam decenter.
- . Frons et gula, labra, mentum
 dant amoris alimentum;
 crines eius adamaui,
 quoniam fuere flauī.
10. Ergo dum nox erit dies,
 et dum labor erit quies,
 et dum silua sine lignis,
 et dum aqua erit ignis:
11. Et dum mare sine uelis,
 et dum Parthus sine telis:
 cara mihi semper eris;
 nisi fallar, non falleris.
-

Ad perfidam.

1. Humor letalis
 crebro me uulnerat
 meisque malis
 dolores aggregat.
Me male multat
 uox tui criminis,
 quae iam resultat
 in mundi terminis.
Inuida fama
 tibi nouercatur;
cautius ama
 ne comperiat.
 Quod agis, age tenebris
 procul a famae palpebris;
 laetatur amor latebris
 et dulcibus illecebris
 cum murmure iocoso.
2. Nulla notauit
 te turpis fabula,
 dum nos ligauit
 amoris copula.

Sed frigescente
nostra cupidine
sordes repente
funebri crimine.

Fama laetata
nouis hymenaeis
irreuocata
ruit in plateis.

Patet lupanar omnium
pudoris en palatium;
nam uirginale lilium
marcet a tactu uilium
commercio probroso.

3. Nunc plango florem
aetatis tenerae,
nitidiorem
Veneris sidere:
Tunc columbinam
mentis dulcedinem,
nunc serpentinam
amaritudinem.
Verbo rogantes
remoues ostio,

munera dantes

foues cubiculo.

Illos abire praecipis,
a quibus nihil accipis
caecos claudosque recipis,
uiros illustres decipis
cum melle uenoso.

Solus cum sola.

Si puer cum puellula
moraretur in cellula,

Felix coniunctio
amore succrescente
prodit e medio:

Fit ludus ineffabilis
membris lacertis labiis.

Luxuriatur amator.

1. Sic mea fata canendo solor,
ut nece proxima facit olor.
roseus effugit ore color,
blandus inest meo cordi dolor.

Cura crescente, labore uigente, uigore labente
miser morior.

Hei morior! hei morior! hei morior!
ut quod amem cogor, sed non amor.

2. Si me dignetur quam desidero,
felicitate Iouem supero:
nocte cum illa si dormiero,
si sua labra semel suxero:

Mortem subire, placenter obire uitamque finire
libens potero.

Hei potero! hei potero! hei potero!
tanta si gaudia recepero.

3. Vbera cum animaduenterem,
optaui, manus ut inuoluerem,
simplicibus mannis alluderem:
sic cogitando sensi Venerem.

Sedit in ore rosa cum pudore, pulsabar amore,
quod os lamberem.

Hei lamberem! hei lamberem! hei lamberem!
luxuriando per characterem.

Experire filia.

1. Non contrecto quam affecto.
ex directo a! te specto,
nec annecto nec deflecto
cilia.

Refl. Experire filia uirilia
Semper iuuenilia stabilia;
sola sunt senilia labilia.
Haec sunt utensilia agilia, facilia, gra-
cilia, fragilia, humilia, mobilia, docilia,
labilia, Caecilia,
et si qua sunt similia.

2. Post feruorem caeli rorem,
post uirorem album florem,
post candorem dant odorem
lilia.

Experire etc.

Peccatricis planctus.

1. Huc usque, me miseram!
rem bene celaueram,
et amari callide.
Rea tandem p̄atuit,
nam uenter intumuit;
partus instat grauidae.
Hinc mater me uerberat,
hinc pater improperat,
ambo tractant aspere.
Sola domi sedeo,
egredi non audeo
nec in palam ludere.
2. Cum foris egredior,
a cunctis inspicior,
quasi monstrum fuerim.
Cum uident hunc uterum,
alter pulsat alterum,
silent dum transierim.
Semper pulsant cubito,
me designant digito,
ac si mirum fuerim.

Nutibus me indicant,
dignam rogo iudicant,
quod semel peccauerim

3. Quid percurram singula?
ego sum in fabula
et in ore omnium.
Ex eo uim patior,
iam dolore morior,
in lacrimis semper sum.
Hoc dolorem cumulat,
quod amicus exulat
propter illud paululum.
Iam sum in tristitia
de eius absentia
in doloris cumulum.
-

Pastoralia.

I.

1. Exiit diluculo
rustica puella
cum grege, cum baculo
cum lana nouella.

2. Sunt in grege paruulo
ouis et asella,
uitula cum uitulo,
caper et capella.

 3. Conspexit in caespite
scolarem sedere:
quid tu facis, domine?
i mecum ludere .
-

II.

1. Lucis orto sidere
exit uirgo propere
facie uernali,
oues iussa regere
baculo pastorali.

2. Sol effundens radium
dat calorem nimium.
uirgo speciosa
solem uitat noxium
sub arbore frondosa.

3. Dum procedo paululum,
linguae soluo uinculum:
„Salue rege digna,
audi quaeso seruulum,
esto mihi benigna!“

4. „Cur salutas uirginem
quae non nouit hominem,
ex quo fuit nata?
sciat deus, neminem
inueni per haec prata.“

5. Forte lupus aderat,
quem fames expulerat
gutturis auari;
oue rapta properat
cupiens saturari.

6. Dum puella cerneret,
quod sic ouem perderet,
pleno clamat ore:
„Si quis ouem redderet,
me gaudeat uxore.“

7. Mox ut uocem audio,
denudato gladio
lupus immolatur;
ouis ab exitio
redempta reportatur.
-

III.

1. Vere dulci mediante,
non in Maio, paulo ante,
luce solis radiante
uirgo uultu elegante
fronde stabat sub uernante
canens cum cicuta.
2. Illic ueni fato dante;
nympha non est formae tantae
aequipollens eius plantae:
quae me uisō festinante
grege fugit cum balante
meta dissoluta.
3. Clamans tendit ad ouile;
hanc sequendo precor: „sile!“
preces spernit et monile.

„nihil timeas hostile!“
quod ostendi, tenet uile
uirgo sic locuta:

4. „Munus uestrum, inquit, nolo,
quia pleni estis dolo,“
et se sic defendit colo.
comprehensam ieci solo.
clarior non est sub polo
uilibus induta.

5. Satis illi fuit graue,
mihi gratum et suaue.
„Quid fecisti, inquit, praue!
úae úae! tamen aue!
ne reueles ulli caue,
ut sim domi tuta.“

6. „Si senserit meus pater
uel Martinus maior frater,
erit mihi dies ater;
uel si sciret mea mater,
cum sit angue peior quater:
uirgis sum tributa.“

IV.

1. Aestiuale sub feruore,
quando cuncta sunt in flore,
totus eram in ardore.
sub oliuae me decore
aestu fessum et ardore
detinebat mora.

2. Erat arbor haec in prato
quouis flore picturato,
herba fonte tincta grato
sed et umbra flatu dato:
stilo non pinxisset Plato
loca gratiora.

3. Subest fons uiuacis uenae,
adest cantus philomenae
naiadumque cantilenae.
paradisus hic est paene:
non sunt scio loca plene
his iucundiora.

4. Hic dum placet delectari
delectatque iucundari
et ab aestu releuari

cerno forma singulari
pastorellam sine pari
colligentem mora.

5. In amorem uisae cedo,
fecit Venus hoc, ut credo:
ades, inquam, non sum praedo,
nihil tollo, nihil laedo;
me meaque tibi dedo,
pulchrior quam Flora!

6. Quae respondet uerbo breui:
„ludos uiri non assueui;
sunt parentes mihi saeui,
mater longioris aevi
irascetur pro re leui.
parce nunc in hora.
-

SEVERA

Surge, surge, uigila!

1. Scribere proposui de contemptu mundano
iam est hora surgere de somno mortis uano,
zizaniam sperneré sumpto uirtutum grano.
Surge, surge, uigila! semper esto paratus!
2. Vita breuis, breuitas in breui finietur.
mors uenit uelociter et neminem ueretur;
omnia mors perimit et nulli miseretur.
Surge, surge, uigila! semper esto paratus!
3. Vbi sunt, qui ante nos in hoc mundo fuere?
uenies ad tumulos, si eos uis uidere;
cineres et uermes sunt, carnes computruere.
Surge, surge, uigila! semper esto paratus!
4. In hac uita nascitur uir omnis cum maerore
et in uitam ducitur humano cum labore,
et post uitam clauditur cum funeris dolore.
Surge, surge, uigila! semper esto paratus!

5. Si conuersus fueris et uelut puer factus
et uitam mutaueris in meliores actus,
sic intrare poteris regnum dei beatus.
Surge, surge, uigila! semper esto paratus!
-

De conuersione hominum.

1. In lacu miseriae
et luto luxuriae
uolueris inutile
tempus perdens, Pamphile!
Cur offensas nimium
aut derisum hominum
non metuis,
dum destruis,
corpus et rem, animam
salua saltem, ultimam
Vitae portiunculam
offerens caelestibus:
pro iuuentae floribus
senectutis stipulam.
2. Forsan ludo Veneris
ultra uires ureris,
ut amoris taedium
tibi sit remedium.

Sed si te medullitus
exsiccatum penitus
exhaurias
et febrias,
nihil tamen proficis,
dum ad tempus deficis.
Nam insurget arctius
hydra multiplicior
et post casum fortior
surgat terrae filius.

3. Et stes pede stabili
sine casu facili;
caue praecipitium
deuitando uitium.
Sed si te uexauerit
aut si comprehenderit
Aegyptia,
mox pallia
fugitius desere,
ne lucteris temere.
Nam resistens uincitur
in hoc belli genere,
et qui nouit cedere
fugiendo, fugitur.

Ego quondam filius mundi.

1. Ego quondam filius mundi specialis
dum essem lasciuiæ pullus subiugalis,
me fortuna prosperis sic euexit alis,
ut essem prae ceteris homo curialis.
2. Adhuc in me floruit aetas iuuentutis,
currebam per omnia passibus solutis.
sic eram contrarius sacris institutis,
ut omnino uiuerem sine spe salutis.
3. Sed dum sic incederem gressibus distortis,
coepi mente uoluere, quae sint uires mortis.
quia non sit aliqua turris ita fortis,
quam non possit ingredi clausis ipse portis.
4. Nulli parcit homini, nulli dignitati;
una est et eadem uniuersitati;
senum et infantium inuidet aetati:
aeque docti transeunt et illitterati.
5. Omnis homo moritur natus in peccatis,
sed miranda potius mors est Hippocratis,
qui, dum ferret aliis curam sanitatis,
ipse tamen cedere cogebatur fati.

6. Abraham mors rapuit quondam fide plenum,
nec est passa uiuere doctum Gallienum.
Inde bene sequitur, quod sit caro faenum,
quod dum mane floreat, uespere fit caenum.

7. Inter haec et alia coepi cogitare,
quod hic mundus uoluitur ut turbatum mare
in quo nisi doctus sis Scyllam declinare,
uix ad certum poteris portum remigare.

8. Mundus sibi uindicat nomen ab immundo,
ex eo quod iaceat faecis in profundo;
igitur ne differas fugere de mundo:
sera parsimonia cernitur in fundo.

9. Fremit mundus positus totus in maligno;
nescit mathematicus, cui credat signo.
mundus est indifferens, nam indignum digno
nunc praefert nunc comparat ac si coruum cigno.

10. Ergo: mundo uiuere non est uita tuta.
incipit a lilio, finit in cicuta.
omnis mundi gloria ceu uulpes astuta
allicit et illicit corda dissoluta.

11. Quis in mundo positus reddat se securum,
ut uitare ualeat examen futurum,
ubi Christus asserit se fore daturum
sanctum suis omnibus regnum permansurum.

 12. Tunc traduntur reprobi stygiae paludi,
qui uirtutum meritis apparebunt nudi;
hos omnes in carcerem iubet rex retrudi,
qui pro nobis moriens pertulit illudi.

 13. Misera condicio filiorum Euae!
cunctis his qui fuerint assistentes, leue
non erit supplicium uel lamentum breue;
nihil apud inferos sonat nisi uae! uae!

 14. His intentus sedulo pedis fixi gressum,
dixi uanitatibus cunctis: „ite pessum!“
uidens me deficere uiatorem fessum
sub istius ordinis umbram iui sessum.
-

Volo resipiscere.

1. Dum iuuentus floruit,
licuit et libuit
facere quod placuit,
iuxta uoluntatem
currere, peragere
carnis uoluptatem.

2. Amodo sic agere,
uiuere tam libere,
talem uitam ducere
uiri uetat aetas,
perimit et eximit
leges assuetas.

3. Aetas illa monuit,
docuit, consuluit;
sic et aetas annuit:
„nihil est exclusum;
omnia cum Venere
contulit ad usum.“

4. Volo resipiscere,
linquere, corrigere,
quod commisi temere;
deinceps intendam
seriis, pro uitiiis
uirtutes rependam.
-

Via regia.

1. Vitae perditae me legi
subdideram
minus licite dum fregi
quod uoueram;
Et ad uitae uesperam
corrigendum legi,
quicquid ante perperam
puerilis egi.
2. Rerum exitus dum quaero
discutere,
uerum penitus a falso
discernere:

Falso fallor opere,
brauium si spero
me uirtutum metere,
uitia dum sero.

3. Ire Veneris immuto
uestigia,
uiae ueteris refuto
per deuia;
Via namque regia
curritur in tuto,
si quis cedit ab ea,
semper est in luto.

4. Xersi solium, Sinonis
astutiam,
confer Tullium, Zenonis
prudentiam:
Nil conferre sentiam
his abutens bonis,
ni surgendo fugiam
Dalidam Samsonis.
-

Sic sta, ne iaceas.

1. Caelum, non animum
mútat stabilitas,
firmans his optimum
quod mentis firmitas
Praebet cum animi
tandem iudicio;
nam sic turpissimi
uoti consilio
Iam scelus inprimi
facto nefario,
debet haec perimi
facta promissio.
2. Non erat stabilis
gradus qui cecidit,
pes eius labilis
domus quae corruiat:
Hinc tu considera,
quid agi censeas,
dum res est libera;
sic sta, ne iaceas:

Prius delibera,
quod factum subeas,
ne die postera
sero paeniteas.

3. Coepti dimidium
habet qui coeperit,
coeptum negotium
si non omiserit,
Ne tantum deditus
circa principia,
uerum sollicitus
pro finis gloria.
Nam rerum exitus
librat industria,
subit introitus
praeceps incuria.

4. Coronat militem
finis, non praelium,
dat hic ancipitem
metam in brauium;
Istud quod tribuit
dictat stabilitas,
istud quod metuit
inducit leuitas,

Dum formam annuit
mentis integritas,
quam dari respuit
uana nobilitas.

5. Mutat cum Proteo
figuram leuitas,
assumit ideo
formas incognitas,
Vultu constantia
conseruans intimum,
alpha principia
et o nouissimum
Flectens fit media,
dat finem optimum,
mutans in uaria.
caelum non animum.

Laus praeteriti temporis.

1. Florebat olim studium
nunc uertitur in taedium;
iam scire diu uiguit,
sed ludere praeualuit.

2. Iam pueris astutia
contingit ante tempora,
qui per maliuolentiam
excludunt sapientiam.

3. Sed retroactis saeculis
uix licuit discipulis
tandem nonagenarium
quiescere post studium.

4. At nunc decennes pueri
decusso iugo liberi
se nunc magistros iactitant,
caeci caecos praecipitant.

5. Implumes aues uolitant,
brunelli chordas incitant,
boues in aula salitant,
stiuae praecones militant.

6. In taberna Gregorius
iam disputat inglorius,
seueritas Ieronymi
partem causatur obuli.

7. Augustinus de segete,
Benedictus de uegete
sunt colloquentes clanculo
et ad macellum sedulo.

8. Mariam grauat sessio,
nec Marthae placet actio;
iam Liae uenter sterilis,
Rachel lippescit oculis.

9. Catonis iam rigiditas
conuertitur ad ganeas,
et castitas Lucretiae
turpi seruit lasciuiæ.

10. Quod prior aetas respuit,
iam nunc clarius claruit,
iam calidum fit frigidum
et humidum fit calidum.

11. Virtus migrat in uitium,
opus transit in otium;
nunc cuncta rerum debita
exorbitant a semita.

12. Vir prudens hoc consideret,
cor mundet et exoneret,
ne frustra dicat „domine!“
in ultimo examine.
-

Ecce torpet probitas.

1. Ecce torpet probitas,
uirtus sepelitur;
fit iam parca largitas,
parcitas largitur;
uerum dicit falsitas,
ueritas mentitur.
Refl. Omnes iura laedunt
et ad res illicitas
licite procedunt.
2. Regnat auaritia,
regnant et auari;
mente quiuis anxia
nititur ditari,
cum sit summa gloria
censu gloriari.
Omnes etc.

3. Multum habet oneris
DO . DAS . DEDI . DARE:
uerbum hoc prae ceteris
norunt ignorare
diuites, quos poteris
mari comparare.
Omnes etc.
4. Cunctis est aequaliter
insita cupido,
perit fides turpiter,
nullus fidus fido,
nec Iunoni Iuppiter,
nec Aeneae Dido.
Omnes etc.
5. Si recte discernere
uelim, non est uita,
quod sic uiuit temere
gens haec imperita,
quia non est uiuere,
si quis uiuit ita.
Omnes iura laedunt
et in rerum numeris
numeros excedunt.
-

Captiuata largitas.

1. Captiuata largitas
longe relegatur
exulansque probitas
misere fugatur.
dum uirtuti prauitas
prae nouercatur,
imperat cupiditas
atque principatur.

2. Solum nunc in pretio
pretium habetur
et uirtutis mentio
penitus deletur.
quod ueretur ratio
nemo iam ueretur,
suo dum aerario
quidquam ampliatur.

3. Quondam diffusissimum
uerbum . DO . DAS . DEDI .
nunc est angustissimum
plus quam possit credi.

uerbum nobilissimum
quo fugisti? redi!
cedit, quod est pessimum
gratia mercedi.

4. Fuerunt antiquitus
praesules datiui:
omnes paene penitus
nunc sunt ablatiui,
et uirtuti funditus
sunt aduersatiui;
uendunt, non dant, reditus
hospiti uel eiui.
-

Dic Christi ueritas.

- 1 *a* Dic Christi ueritas,
dic cara raritas
dic rara caritas,
ubi nunc habitas?
- b* Aut in ualle uisionis?
aut in throno Pharaonis?
aut in alto cum Nerone?
aut in antro cum Timone?

- c* Vel in fiscella scirpea
cum Moyse plorante,
uel in domo romulea
cum bulla fulminante.
- d* Bulla fulminante
sub iudice tonante,
reo appellante
sententia grauante.
- e* Veritas opprimitur
distrahitur et uenditur
iustitia prostante,
itur et recurritur
ad curiam nec ante
aliquid consequitur
exiit quadrante.

2 a Respondit caritas:
homo, quid dubitas?
quid me sollicitas?
non sum quod uisitas!

b Nec in euro nec in austro
nec in foro nec in claustro,
nec in bysso nec cuculla,
nec in bello nec in bulla!

10*

- c* De Iericho sum ueniens
ploro cum sauciato,
quem duplex Leui transiens
non astitit grabato.
- d* Si quaeris praebendas,
uitam frustra commendas;
mores non praetendas
ne iudicem offendas!
- e* Frustra tuis litteris
inniteris, moraberis
per plurimas kalendas.
tandem expectaueris
a ceteris ferendas.
pari nihil ponderis
pretio contendas.

- 3a* O uox prophetica
a Nathan prodita!
culpa dauitica
patet nunc modica —
- b* Dicit Nathan: „non clamabo“,
„neque“ Dauid „planctum dabo“ —
cum sit Christi rupta uestis
et de Christo Christi testis.

c Vae uae uobis, hypocritae!
qui culicem colatis;
quae Caesaris sunt, reddite,
ut Christo seruiatis.

d Papae ianitores
Cerbero surdiores,
in spe uana plores;
iam etiamsi fores,

e Adiit quem Orphëus,
Pluto deus tartareus,
non ideo perores,
malleus argenteus
ni feriat ad fores,
ubi mille Protëus
uariat colores.

Flete, Sion filiae.

1. Licet aeger cum aegrotis
et ignotus cum ignotis,
fungar tamen uice cotis
ius usurpans sacerdotis.

flete, Sion filiae!
praesides ecclesiae
imitantur hodie
Christum a remotis.

2. Si priuata degens uita
uel sacerdos uel leuita
sibi dari uult petita
ac incedit uia trita,
 praeuia fit pactio
 Simonis officio,
 cui succedit datio
et sic fit Iezita.

3. Iacet ordo clericalis
in respectu laicalis;
sponsa Christi fit mercalis,
generosa generalis;
 ueneunt altaria,
 uenit eucharistia,
 cum sit nugatoria
gratia uenalis.

4. Donum dei non donatur,
nisi gratis conferatur.

quod qui uendit uel mercatur,
lepra Syri uulneratur;
quem sic ambit ambitus
idolorum seruitus,
templo sancti spiritus
non compaginatur.

5. Si quis tenet hunc tenorem,
frustra dicit se pastorem,
nec se regit ut rectorem
renum mersus in ardorem.
haec est enim alia
sanguisugae filia,
quam uenalis curia
duxit in uxorem.
6. In diebus iuuentutis
timent annum senectutis,
ne fortuna destitutis
desit eis splendor cutis,
et dum quaerunt medium,
uergunt in contrarium;
fallit enim uitium
specie uirtutis.

7. Vt iam loquar inamoenum,
sanctum chrisma datur uenum,
iuuenantur corda senum,
nec refrenant motus renum;
senes et decrepiti,
quasi modo geniti,
nectaris illiciti
hauriunt uenenum.

8. Ergo nemo uiuit purus,
castitatis perit murus,
commendatur Epicurus,
nec spectatur moriturus;
grata sunt conuiuia,
auro uel pecunia
cuncta facit peruia
pontifex futurus.

Vtar contra uitia.

1. Vtar contra uitia carmine rebelli.
mel proponunt alii, fel supponunt melli.
pectus subest ferreum deauratae pelli
et leonis spolium induunt aselli.

2. Disputat cum animo facies rebellis,
mel ab ore profluit, mens est plena fellis.
non est totum melleum quod est instar mellis,
facies est alia pectoris quam pellis.

3. Vitium in opere, uirtus est in ore,
tegunt picem animi niueo colore,
membra dolent singula capitis dolore,
et radici consonat ramus in sapore.

4. Roma caput mundi est, sed nil capit mundum,
quod pendet a capite totum est immundum;
trahit enim uitium primum in secundum
et de fundo redolet quod est iuxta fundum.

5. Roma capit singulos et res singulorum,
Romanorum curia non est nisi forum.
Romae sunt uenalia iura senatorum,
et soluit contraria copia nummorum.

6. Si te forte traxerit Romam Vocatiuus,
et si te deponere uult Accusatiuus,
qui te restituere possit Ablatiuus,
uide, quod fideliter praesens sit Datiuus.

7. In hoc consistorio si quis causam regat
suam uel alterius, hoc imprimis legat:
nisi det pecuniam, Romæ totum negat;
qui plus dat pecuniae, melius allegat.

8. Romani capitulum habent in decretis,
ut petentes audiant manibus repletis.
si das, tibi dabitur, petunt quando petis,
qua mensura seminas, hac eadem metis.

9. Munus et petitio currunt passu pari,
opereris munere, si uis operari;
Tullium ne timeas, si uelis causari,
nummus eloquentia gaudet singulari.

10. Nummis in hac curia non est qui non uacet:
cruce placet, rotunditas placet, totum placet:
et cum ita placeat, et Romanis placet,
ubi nummus loquitur, et lex omnis tacet.

11. Si quo grandi munere bene pascas manum,
frustra quis obiceret uel Iustinianum
uel Sanctorum canones: quia tamquam uanum
transeunt ad paleas, et imbursant granum.

12. Romam auaritiaē uitet manus parca,
parcit danti munera, parco non est parca,
munus est pro munere et pro Marco marca,
et est minus celebris ara quam sit arca.

13. Cum ad papam ueneris, habe pro constanti:
non est locus pauperi, soli fauet danti,
uel si munus praestitum non sit aliquanti,
respondet: „haec tibia: non est mihi tanti.“

14. Papa, si rem tangimus, nomen habet a re,
quicquid agunt alii, solus uult papare,
uel si nomen gallicum uis apocopare,
paga paga de le marc, si uis impetrare.

15. Sic papa, sic ianitor, sic bullator quaerit,
cardinalis etiam grex hanc uiam terit,
et nisi plenarie totum factum erit,
totum mare salsum est, tota causa perit.

16. Das istis, das aliis, addis dona datis:
et cum satis dederis, quaerent ultra satis;
o uos bursae turgidae, Romam ueniatis,
Romae datur potio bursis constipatis.

17. Praedatur marsupium singulis paulatim,
magna, maior, maxima praeda fit gradatim.
quid narrarem singulos? colligam summatim:
omnes bursas strangulant, et explicant statim.
18. Bursa iecur Tityi morte imitatur;
fugit res, ut redeat, perit, ut nascatur,
et hoc pacto loculum Romæ depraedatur,
ut a nummo uacuus, item repleatur.
19. Redeunt a curia capite cornuto;
ima tenet Iuppiter, summa regit Pluto,
et accedit dignitas animali bruto,
tamquam gemma stercoris picturata luto.

Versa est in luctum cithara mea.

1. Versa est in luctum
cithara Waltheri,
non quia se ductum
extra gregem cleri
uel eiectus doleat,
aut abiecti lugeat
uilitatem morbi,

sed quia considerat,
quod finis accelerat
improvisus orbi.

Refl. Libet intueri
iudices ecclesiae,
quorum status hodie
peior est quam heri.

2. Vmbra cum uidemus
ualles operiri,
proximo debemus
noctem experiri;
sed cum montes uideris
et colles cum ceteris
rebus obscurari,
nec fallis nec falleris,
si mundo tunc asseris
noctem dominari.

3. Per conualles nota
laicos exleges,
notos turpi nota
principes et reges,
quos pari iudicio
luxus et ambitio
quasi nox obscurat,

quos caelestis ultio
bisacuto gladio
perdere maturat.

4. Restat ut per montes,
 figurate notes
scripturarum fontes:
 Christi sacerdotes,
colles dicti mystice,
eo quod in uertice
 Sion constituti.
mundo sunt pro speculo,
si legis oraculo
 uellent non abuti.

5. Iubent nostri colles
 dari cunctis faenum,
et praeferri molles
 sanctitati senum,
fit hereditarium
dei sanctuarium,
 et ad Christi dotes
praeponuntur hodie
expertes scientiae
 praesulum nepotes.

Refl. Si rem bene notes,
succedunt in uitium
et in beneficium
terreni nepotes.

6. Veniat in breui,
Iesu bone deus,
finis huius aevi
annus iubilaeus.
moriar, ne uideam
Antichristi frameam,
cuius praecessores
iam non sani dogmatis
stant in monte chrismatis,
censuum censores.
-

O Roma nobilis.

1. O Roma nobilis, orbis et domina,
cunctarum urbium excellentissima,
roseo martyrum sanguine rubea,
albis et uirginum liliis candida;
salutem dicimus tibi per omnia,
te benedicimus, salue per saecula.

2. Petre, tu praepotens caelorum clauiger,
uota precantium exaudi iugiter.
cum bis sex tribuum sederis arbiter,
factus placabilis iudica leniter;
teque precantibus nunc temporaliter
ferto suffragia misericorditer.

3. O Paule, suscipe nostra precamina,
cuius philosophos uicit industria.
factus oeconomus in domo regia
diuini muneris appone fercula,
ut, quae repleuerit te sapientia,
ipsa nos repleat tua per dogmata.

Caesari Augusto.

1. Hauriat Caesar sapiens benignus
auribus carmen citharaeque melos,
qui debet crebra uariaque laude
glorificari!

2. Laudibus regnum et diadema clarum
Caesaris magni uigeat, coruscet!
Caesarem semper recinetque nostrum
carmen ubique!

3. Omnis exultet moduletque cernens
regis aduentum propero recursum,
uisitans nostrum Latium sereni
sexus et aetas.
4. Tetra cum nubes radios corusci
solis inuadit boreasque spirans
uerberat nubes, tenebrosum amictum
emicat et sol:
5. Haud secus noster reduci meatu
Caesar Augustus Latium petendo
nubilae mentis pepulit tenebras
splendidus ore.
6. Arbiter, regnum moderans ab aeuo,
protegens nostrum comitare regem,
porrige dextram famulo fidei,
Christe redemptor!
7. Regnet ut sceptrum retinens auitum,
iure subiectos foueat Quirites,
gaudeat tanto domino subeses
urbs quoque Roma.

GAUDEAMUS.

11

8. Imperet, fretus propriis habenis,
sponte subiectis placida quiete,
legibus torquens alios seueris
rite rebelles!

 9. Virtus ast illum comitatur alma,
cuncta quae optamus regimen secuntur
Caesaris nostri, domino uolente,
te quoque, Christe!

 10. Summa maiestas, pater, atque nate,
spiritus sanctus precibus adesto,
reddimus regis tibi pro salute
quas, deus unus!
-

De morte Karoli Magni planctus.

1. 'A solis ortu usque ad occidua
litora maris planctus pulsat pectora;
ultramarina agmina tristitia
tetigit ingens cum maerore nimio.
Heu me! dolens plango!

2. Franci, Romani atque cuncti creduli
luctu punguntur et magna molestia;
infantes, senes, gloriosi principes,
matronae plangunt interitum Karoli.
Heu me! dolens plango!
3. Iamiam non cessant lacrimarum flumina,
nam clangit orbis detrimentum Karoli;
Christe, caelorum qui gubernas agmina,
tuo in regno da requiem Karolo!
Heu me! dolens plango!
4. Vae tibi Roma romanoque populo
amisso summo glorioso Karolo!
vae tibi, sola formosa Italia!
in Aquis Granis globum terrae tradidit:
Heu me! dolens plango!
5. O Columbane, stringe tuas lacrimas
precesque funde pro illo ad dominum!
pater cunctorum, orphanorum, omnium
peregrinorum, uiduarum, uirginum
Heu me! dolens plango!

6. Nox mihi dira iam retulit somnia
diesque clara non adduxit lumina,
pater communis, misericors domine,
ut illi dones locum splendidissimum.
Heu me! dolens plango!
-

Ad Caesarem.

1. Salve mundi domine, Caesar noster, aue,
cuius bonis omnibus iugum est suaue.
quisquis contra calcitrat, putans illud graue,
obstinati cordis est et ceruicis prauae.
2. Princeps terrae principum, Caesar Friderice,
cuius tuba titubant arces inimicae,
tibi colla subdimus tigres et formicae
et cum cedris Libani uepres et myricae.
3. Nemo prudens ambigit te per dei nutum
super reges alios regem constitutum,
et in dei populo digne consecutum
tam uindictae gladium quam tutelae scutum.

4. Tu foues et protegis magnos et minores;
magnis et minoribus tuae patent fores;
omnes ergo Caesari sumus debitores,
qui pro nostra requie sustinet labores.

5. Dent fruges agricolae, pisces piscatores,
auceps uolatilia, feras uenatores.
nos poetae pauperes, opum contemptores,
scribendo caesareos canimus honores.

6. Scimus per desidiam regum romanorum
ortas in imperio spinas impiorum
et sumpsisse cornua multos populorum,
de quibus commemoro gentem Lombardorum.

7. Quae dum turres erigit more giganteo,
volens altis turribus obuiare deo,
contumax et fulmine digna cyclopeo
instituta principum spreuit ausu reo.

8. De tributo Caesaris nemo cogitabat,
omnes erant Caesares, nemo censum dabat:
ciuitas Ambrosii uelut Troia stabat;
deos parum, homines minus formidabat.

9. Surrexit interea rex iubente deo,
metuendus hostibus tamquam feris leo,
similis in praeliis Iudae Machabaeo.
de quo quicquid loquerer, minus esset eo

10. Non est eius animus in curanda cute;
curam carnis comprimit animi uirtute,
de communi cogitans populi salute
prauorum superbiam premit seruitute.

11. Quanta sit potentia uel laus Friderici,
cum sit patens omnibus, non est opus dici;
qui rebelles lancea fodiens ultrici
repraesentat Karolum dextera uictrici.

12. Hic ergo considerans orbem conturbatum,
potenter aggreditur opus deo gratum,
et, ut regnum reuocet ad priorem statum,
repetit ex debito census ciuitatum.

13. Sonuit in auribus angulorum terrae
et in maris insulis huius fama guerrae,
quam si mihi liceat plenius referre,
opus hoc Aeneidi poteris praeferre.

14. Modis mille scriberem bellicos conflictus,
hostiles insidias et uiriles ictus,
quantis minis impetit ensis hostem strictus,
qualiter progreditur castris rex inuictus.

15. Iterum describitur orbis ab Augusto,
redditur res publica statui uetusto;
pax terras ingreditur habitu uenusto
et iam non opprimitur iustus ab iniusto.

16. Archicancellarius uiam praeparauit,
dilatauit semitas, uepres extirpauit;
ipse iugo Caesaris terram subiugauit
et nos de miseriae lacu liberauit.

17. Imperator nobilis! age sicut agis;
sicut exaltatus es, exaltare magis.
foue tuos subditos, hostes caede plagis
super eos irruens ultione stragis.

Archicancellario

Rainaldo de Dassel Coloniensi archiepiscopo.

1. Archicancellarie,
uiris maior ceteris,
splendore prudentiae,
qua prudentes praeteris,
iubar es ecclesiae,
sicut sol est aetheris.

2. Laudes tibi canimus
cuius luce iubaris
illustratur animus
Friderici Caesaris.
quod libenter facimus
cum sis dator hilaris.

3. Pollens bonis moribus
et nitore generis,
in humanis artibus
et diuinis litteris,
ter sis maior omnibus,
nullo minor crederis.

4. Vir fortis et sapiens
fortunam non sequeris,

in aduersis patiens,
modestus in prosperis,
cuncta bene faciens
recta uia graderis.

5. Vlixē facundior,
tullianē loqueris,
columba simplicior
nulli fraudes ingeris,
serpente callidior
a nullo deciperis.
6. Alexandro fortior
inimicos conteris,
Dauidē mansuetior
a cunctis diligeris
et Martino largior
das quod iuste peteris.
7. In regni negotio
fit quodcumque praecipis,
qui sine consilio
nihil prorsus incipis:
gaudet tanto socio
mens romani principis.

8. Adhuc starent moenia
Mediolanensium,
nec Caesar per proelia
uictor esset hostium,
nisi dei gratia
te dedisset socium.
9. Electum Coloniae,
claris dignum laudibus
prae multa pauperie
nudis laudo pedibus,
conqueror hoc hodie
coram sanctis omnibus.
10. Dum sanctorum omnium
colitur celebritas,
singuli colentium
gerunt uestes inclitas,
archicancellarii
uatem pulsat nuditas.
11. Poeta composuit
rationem rithmicam,
atyrus imposuit
melodiam musicam,
unde bene meruit
mantellum et tunicam.
-

Io Triumphæ.

1. Caesar Galliam subegit, Caesar noster maximus
castra fregit et Gallorum hostium exercitus,
fugans milites Suaues gallicosque Zephyros.
2. Imperator Germanorum, Caesar noster maximus,
regnum fundat exoptatum, rem exoptatissimam
nobis adferens a flaua Sequana in patriam.
3. En Augustus Imperator, Caesar noster maximus,
fines auget Germanorum quondam eheu! perditos;
Lotharingi cum Alsatis redeunt in patrios.
4. Ecce uenit triumphator Caesar noster maximus,
ecce uenit in triumpho maximus exercitus,
ecce uenit pax triumphans, fructus noster aureus!

Patri patriæ.

1. Gaudeamus et agamus
laudes PATRI PATRIÆ
Franco-Gallos profliganti,
regnum nobis restauranti
almae nunc Germaniæ.

2. Gaudeamus et plaudamus
Germanorum praesuli,
Saxonum et Borussorum,
Bauarorum et Sueuorum
et Badensis socii.

 3. Gaudeamus et bibamus
pro salute Caesaris;
poculum fundamus plenum
redigenti nobis Rhenum
utriusque litoris.

 4. Gaudeamus et nectamus
lauream paciferam
principi, placato Marte,
bonis litteris et arte
adornanti patriam.

 5. Gaudeamus et teramus
Salamandras maximas
dissipanti incultorum
et uirorum obscurorum
cultum et nequitas.
-

IOCVLARIA



Iam mutatur animus.

1. *F* Heus, pater, adiuua,
quia mors est proxima!
 si concedis, crastinum
 faciam me monachum.

2. Festina succurrere,
iam me uult inuadere.
 dona, pater, spatium;
 da mihi consilium.

3. *P* O mi dilectissime,
quidnam cupis agere?
 secus tibi consule,
 noli me relinquere.

4. *F* Tua, pater, pietas
mouet mihi lacrimas,
 quia eris orphanus,
 postquam ero monachus.

5. *P* Ergo mane paululum,
saltim post hoc triduum,
forsan hoc periculum
non erit mortiferum.
6. *F* Tanta est angustia,
quae currit per viscera,
quod est mihi dubia
uita quoque crastina.
7. *P* Monachalis regula
non est mi incognita:
ieiunant cottidie,
uigilant assidue.
8. *F* Qui pro deo uigilant,
coronari postulant;
qui pro deo esurit,
satiari exigit.
9. *P* Dura donat pabula:
fabas ac legumina;
post tale conuiuium
potum aquae modicum.

10. *F* Quid prosunt conuiuia
quidue dionysia,
ubi ex his dapibus
caro datur uermibus?
11. *P* Vel parentum gemitus
moueat te penitus,
qui te plangit monachum
uel hac uita mortuum.
12. *F* Qui parentes diligit
atque deum negligit,
reus inde fuerit,
quando iudex uenerit.
13. *P* O ars dialectica,
numquam esses cognita,
quae tot facis clericos
exules ac miseros!
14. Numquam magis uideris
quem tu tantum diligis,
illum paruum clericum
.N. pulcherrimum;

15. *F'* Hëu mihi misero!
quid faciam' nescio;
longo in exilio
sum sine consilio.
16. Parce, pater, fletibus;
forsitan fit melius.
iam mutatur animus:
nondum ero monachus.
-

Exul ego clericus.

1. Exul ego clericus
ad laborem natus
tribulor multotiens
paupertati datus.
2. Litterarum studiis
uellem insudare,
nisi quod inopia
cogit me cessare.

3. Ille meus tenuis
 nimis est amictus;
saepe frigus patior
 calore relictus.

4. Interesse laudibus
 non possum diuinis,
nec missae nec uesperae,
 dum cantetur finis.

5. O decus .N.
 dum sitis insigne,
postulo suffragia
 de uobis iam digne.

6. Ergo mentem capite
 similem Martini,
uestibus induite
 corpus peregrini.

7. Vt uos deus transferat
 ad regna polorum:
ibi dona conferat
 uobis beatorum.

Heriger.

1. Heriger urbis Maguntinensis
antistes quendam uidit prophetam
qui ad infernum se dixit raptum.
2. Inde cum multas referret causas,
subiunxit totum esse infernum
accinctum densis undique siluis.
3. Heriger risit; illi respondit:
„Meum subulcum illuc ad pastum
uolo cum macris mittere porcis.“
4. Vir ait falsus: „Fui translatus
in templum caeli Christumque uidi
laetum sedentem et comedentem.
5. Johannes Baptista erat pincerna
atque praeclari pocula uini
porrexit cunctis uocatis Sanctis.“
6. Heriger ait: „Prudenter egit
Christus Johannem ponens pincernam,
uinum quoniam non bibit umquam.“

7. [deest stropa.]
8. „Mendax probaris cum Petrum dicis
illuc magistrum esse cocorum,
est quia summi ianitor caeli.
9. Honore quali te deus caeli
habuit ibi? ubi sedisti?
uolo ut narres, quid manducasses.“
10. Respondit homo: „Angulo uno
partem pulmonis furabar cocis;
hoc manducaui atque recessi.“
11. Heriger illum iussit ad palum
loris ligari scopisque caedi,
sermone duro hunc arguendo:
12. „Si te ad suum inuitet pastum
Christus, ut secum capias cibum,
caue ne furtum facias tetrum.“
-

De presbytero et lupo.

1. Quibus ludus est animo
et iocularis cantio,
hoc aduertant ridiculum;
narrabo non ficticium.
2. Sacerdos iam ruricola
aetate sub decrepita
uiuēbat amans pecudis,
hic enim mos est rusticis.
3. Ad cuius tale studium
omne patebat commodum,
nisi foret tam proxima
luporum altrix siluula.
4. Hi, minuētes numerum
per eius summam, generum
dant impares ex paribus
et pares ex imparibus.
5. Qui dolens sibi fieri
detrimentum peculii,
quia diffidit uiribus
uindictam quaerit artibus.

6. Fossam cauat non modicam
intus ponens agniculam,
et, ne pateret hostibus,
superne tegit frondibus.

7. Humano datum commodo
nil maius est ingenio:
lupus dum nocte circuit,
spe praedae captus incidit.

8. Accurrit mane presbyter,
gaudet uicisse taliter:
intus protento baculo
lupi minatur oculo.

9. 'Iam', inquit, 'fera pessima,
tibi rependam debita:
aut hic frangetur baculus,
aut hic crepabit oculus.'

10. Hoc dicto simul impulit,
uerbo sed factum defuit;
nam lupus seruans oculum
morsu retentat baculum.

11. At ille miser uetulus
dum sese trahit firmissus,
ripa cedente corrumpit
et lupo comes incidit.

12. Hinc stat lupo, hinc presbyter,
timent, sed dispariter;
nam ut fidenter arbitror
lupo stabat securior.

13. Sacerdos secum mussitat
et septem psalmos ruminat;
sed reuoluit frequentius:
„miserere mei, deus.“

14. 'Hoc', inquit, 'infortunii
dant mihi uota populi,
quorum neglexi animas,
quorum comedi uictimas.'

15. Pro defunctorum merito
cantat: „placebo domino“
et pro uotis uiuentium
totum psallat psalterium.

16. Post completum psalterium
commune perstat commodum:
sacerdotis timiditas
atque lupi calliditas.

 17. Nam cum acclinis presbyter
perfiniret „pater noster!“,
atque clamaret domino:
„sed libera nos a malo!“

 18. Hic dorsum eius insilit
et saltu liber effugit
et, cuius arte captus est,
illo pro scala usus est.

 19. At ille laetus nimium
cantat: „laudate dominum!“
et promisit pro populo
se oraturum amodo.

 20. Hinc a uicinis quaeritur
et inuentus extrahitur,
sed non umquam deuotius
orauit nec fidelius.
-

Leporis planctus.

1. Fleuit lepus paruulus
clamans altis uocibus:
„quid feci hominibus,
quod me sequuntur canibus?
2. Neque in horto sedi
neque holus comedi;
quid etc.
3. Longas aures habeo,
breuem caudam teneo;
quid etc.
4. Leues pedes habeo,
magnum saltum facio.
quid etc.
5. Caro mea dulcis est,
pellis inea mollis est.
quid etc.
6. Quando serui uident me,
hase! hase! uocant me.
quid etc.

7. Domus mea silua est,
lectus meus durus est.
quid etc.
 8. Dum montes ascendero,
canes nihil timeo.
quid etc.
 9. Dum in aulam uenio,
gaudet rex, et non ego.
quid etc.
 10. Quando reges comedunt me,
uinum bibunt super me.
quid etc.
 11. Quando comederunt me,
ad latrinam portant me.
quid etc.
-

Cycni (uel anseris) assati planctus.

1. Olim latus colueram
olim pulcher exstiteram,
dum cignus ego fueram.
Miser, miser!
modo niger
et ustus fortiter.
 2. Girat, regirat castifer,
propinat me nunc dapifer,
me rogos urit fortiter:
Miser etc.
 3. Mallem in aquis uiuere
nudo semper sub aere,
quam in hoc mergi pipere:
Miser etc.
 4. Eram niue candidior,
quauis aue formosior;
modo sum coruo nigrior:
Miser etc.
 5. Nunc in scutella iaceo,
et uolitare nequeo;
dentes frendentes uideo:
Miser etc.
-

Testamentum asini.

1. Rusticus dum nimium
grauat suum asinum,
uidit semimortuum,
 la sol fa
uidit semimortuum
 la sol fa mi re ut.
2. Maestis ergo gestibus
loquitur ac uocibus,
oculis plorantibus:
3. „Si te scissem, asine,
moriturum propere,
inuoluissem sindone.
4. „Fecissemque tunicam,
thoracem, camisiam,
bracas et interulas.
5. „Surge lento tempore,
ut, dum datur uiuere,
legata possis soluere.“

6. Mox consurgens asinus
testamentum protinus
edidit his uocibus:
7. „Caput magistratibus,
aures do iudicibus,
oculos custodibus.
8. „Dentes cedunt senibus,
labia procantibus,
lingua mulieribus.
9. „Nares tabacariis,
pedes tabellariis,
pellem do canonicis.
10. „Vocem do cantoribus,
collum potatoribus,
uirgam do scolaribus.
11. „Curam do pastoribus,
lolium doctoribus,
umbram litis partibus.
12. „Senibus sit tarditas,
puerisque ruditas,
monachis simplicitas.“

13. Testamen hoc ualidum,
qui dicat insolidum,
uertatur in asinum.
-

Cantus hiuleus.

1. Erat quondam dies festus,
quo uocatus ad comestus
ibat Prior cum claustralis
et tota familia a a a
et tota familia.
2. Festum erat hoc Abbatis,
qui tractauit omnes gratis
dixitque ad inuitatis:
„Laeta sint solemnia.“
3. Abbas est sedere sursum,
et Prioris iuxta rursum;
ego sedit ad deorsum
inter iuuenilia.
4. Dixit Abbas ad Prioris:
A. „Detur uinum iunioris,
qui laborant in choralis
et matutinalia.“

5. Dixit Prior ad Abbatis:
P. „Ecce rubent, habent satis;
non est bonum ebriatis,
uadant ad claustralia.“
6. Erat quidam iunioris
habens bonum rationis;
irascatus ad Prioris
dixit haec formalia:
7. *F.* „Audi me tu, Prior bone!
tu es unum clopione,
tu non nosti legem pone,
neque mirabilia.“
8. „Ego fuit clericalis,
fuit quóque monachalis;
ego legit Iuuenalis
scholis in Germania.“
9. *A.* „Bibe, frater, ad Priore,
cessabitque a liuore;
infundatur de liquore,
et erit concordia.“

10. *P.* „Precor deum maiestatis;
qui uos fecit et creatis,
ut hoc uinum, quod bibatis,
sit uobis stranguria.“
11. Abbas erat bonus homo,
sicut sucus est in pomo:
A. „Bibant omnes hac in domo
haustum cum laetitia.“
12. Post haec omnes bibierunt
et in uestes dormierunt;
matutinas neglexerunt
usque diem claria.
-

Excommunicatio pro pileo rapto.

1. Raptor mei pilei morte puniatur:
mors sit subitanea nec praecideatur,
et poena continua post mortem sequatur,
nec campis elysiis trans Lethen feratur.
2. Raptor mei pilei saeua morte cadat
illum febris scabies et tabes inuadat
hunc de libro dominus summae uitae radat,
hunc tormentis Aeacus cruciandum tradat.

GAUDEAMUS.

13

4. Eius uita breuis sit pessimusque finis
nec uiuat feliciter his diebus binis:
laceret hunc Cerberus dentibus caninis,
laceratum grauius torqueat Erinys.
6. Excommunicatus sit agro uel in tecto,
nullus eum uideat lumine directo;
solus semper sedeat similis deiecto;
hinc poenis tartareis crucietur lecto.
7. Hoc si quis audierit excommunicamen
et non obseruauerit praesulis examen,
nisi respiscat hic corrigens peccamen,
anathema fuerit. fiat, fiat! amen!

Iter romanum.

1. Referam miraculum quoddam curiale,
futuris praesentibus sit memoriale;
a mundi principio non extitit tale,
usque finem saeculi uix erit aequale.
2. Dum abbas et monachus essent uinolenti,
dixit abbas monacho circa se sedenti:
„Votum uoui domino et deo uiuenti:
Romam ire cupio hoc anno praesenti.“

3. Quo audito monachus plausit et saltauit:
Zila baba Sibila canticum cantauit,
uersum *sudram sudracum* laetus incohauit,
hymnum *hobri pomozi* suaue recitauit.

 4. Scyphum tenens manibus dixit ad abbatem:
„Bibe, bibe, rebibe propter uanitatē,
qui spiratā gratia cupis sanitatem;
uias tuas dirigat, det prosperitatem.“
Bibabal.
-

Nos uagabunduli.

1. Nos uagabunduli
laeti iucunduli,
tara tantara teino.

2. Edimus libere .
canimus lepide.
tara etc.

3. Risu dissoluimur,
pannis obuoluimur,
tara etc.

4. Multum in ioculis
crebro in poculis.
tara etc.
5. Dolo consueuimus
nihil metuimus.
tara etc.
6. Penus nos deficit,
praeda nos reficit.
tara etc.
7. Frater catholice,
uir apostolice,
tara etc.
8. Dic quae uolueris,
fient quae iusseris.
tara etc.
9. Omnes metuite
partes grammaticae.
tara etc.
10. Quadruplex nebulo
adest et spolio.
tara etc.

11. Data licentia
crescit amentia.
tara etc.
 12. Papa sic praecipit,
frater non decipit.
tara etc.
 13. Care fratercule,
uale ex tempore.
tara etc.
 14. Quando reuertitur,
congratulabimur.
tara etc.
 15. Nosmet respicimus
et uale dicimus
tara etc.
 16. Corporum nexibus
cordum amplexibus.
tara tantara teyno.
-

De milite eleganti.

1. In certaminis procella
hostem nos conterimus,
semper enim nostra bella
eleganter gerimus.
hostem uincimus constanter,
semper autem eleganter.

2. Si certamen cum puella
fortiter conserimus,
semper quoque nostra bella
eleganter gerimus.
bellas uincimus constanter,
semper autem eleganter.

3. Si cum sociis in cella
pocula nos terimus,
semper ibi nostra bella
eleganter gerimus.
uinum uincimus constanter,
semper autem eleganter.

Flandriae Brabantiaeque

laetis potatoribus

.S.

Flandrensi-
um
cantus domesticus.

1. Nonne sumus ad splendorem nati?
nonne creuimus eximium?
sunt tamen patres nociferati
operae perisse pretium!
uideant nos hic frequentes
ad ceruisiam sedentes,
quae honorum addit cumulum!
2. Tota iam Europa demiratur,
quid noui regni exortum sit:
rex erit cui plurimum potatur,
praesul osculari probe scit;
comes est qui comissatur,
truculenter qui grassatur,
age, regius satellites fit!
3. Archiater curat spectra cana,
quis turbatur mane fratrum mens;

archiuates dictat male sana;
camerarius notat, quotiens
non soluta ratione
abitur a potione
uel qui decretorum negligens.

4. Liquor hordei, pie pensate,
rerum Flandricarum cardines!
fratres, trahite! reduplicate
guttura, dum saltant parietes!
cados super cados ferte,
cadis urceos replete,
urceis fecundate renes!
5. Festis in conuiujs deorum
frater sedet fratri proximus;
Hebe si quem interpellat horum:
„Quid? ambrosiamne poscimus?“
„„Ludis, domina, ut uidetur!
cereuisia portetur!
usque cereuisiam sitimus!““
-

In dulci iubilo.

1. In dulci iubilo
nun singet und seid froh!
 Unsers herzens wonne
 latet in poculo,
 gezapfet aus der tonne
 pro hoc conuiuio.
 Nunc, nunc bibito!

2. O crater paruule,
nach dir ist mir so weh!
 Tröst mir mein gemüthe,
 o potus optime,
 durch alle deine güte!
 et nos concinite:
 Viuant socii!

3. O uini caritas,
o Bacchi lenitas!
 Wir habens geld versoffen
 per multa pocula,
 doch haben wir zu hoffen
 nummorum gaudia.
 Eia, wärn sie da!

4. Vbi sunt gaudia?
nirgends mehr, denn da,
Da die burschen singen
selecta cantica
und die gläser klingen
in uillae curia;
Eia, wärn wir da!
-

Rheni custodia.

Apocalypsis XIV 2 sqq.

1. Vox sonat instar tonitrus,
instar aquarum strepitus:
„Ad Rhenum quiuis properet!
quis fluuium custodiet?“
O patria, ne trepida!
Rhenana stat custodia!
2. En perstringuntur animi,
uirorum ardent oculi:
Germana proles inpigra
tuetur regni limina.
O patria etc.

3. Ad caelos uultus erigit,
priscorum turba quos colit;
testatur illos fortiter:
„Rhenus noster perenniter!“
O patria etc.
4. „Pro te libenter oppetam,
ne Gallicum te uideam;
carebis ante fluctibus
quam fluuii tutoribus!“
O patria etc.
5. „Dum sanguis calet ciuium,
dum manus stringit gladium,
dum tela mittit dextera,
fluenta uolues libera!“
O patria etc.
6. Auditur! undae cursitant,
uexilla uento fluitant.
Rhenum, Rhenum defendimus,
omnes pro Rheno stabimus!
O patria, ne trepida!
Rhenana stat custodia!
-

I GLOSSARIUM

- Abbas 191. 193—195
abbas Cucaniensis 73
ab aevo *ab initio mundi* 161
ablatius *qui aufert* 146. 153
accinctus *cinctus, circumdatus*
180
accusatiuus *qui accusat* 153
actiuus *qui agit* 108
actor *accusator* 43
ad deorsum *deorsum* 191
adnullare *perdere* 29
aduersatiuus *aduersarius* 146
aequipollens 123
agnicula *lämmlein* 183
agon *certamen* 71
alba *margarita* 96
allegare *geltend machen* 154
ambire *umgarnen* 151
ambitus *eitelkeit* 151
amodo *modo* 135. 185
angustia *sing., angor* 176
anathema *bann* 194
annalis *anniuersarius* 31
annecto *adnicto zublinzeln?* 118
antiburschius 2
antistes *praeses, praesul* 180
apocopare *abscindere, abbreviare?* 155
appellare *berufung einlegen* 147
archicancellarius 167. 168. 170
archos *ἄρχων* 95
assatura *caro assa* 4
asserō *contendo* 157
atyrus *urbanus?* („*tyros rusticus*“) 170.
Bactrio *bacrio* „*genus uasis longioris manubrii; alii trullam appellant*“ 70
baptismus 48
beanus „*est animal nesciens uitam studiosorum*“ (*beare béer, ore hiante et patulo esse*) 12
beatus *praesul dicitur* 41
beati *die seeligen* 54. 179

- benedicere aliquem **159**
 beneficium *munus ecclesiasticum* **159**
 bibere ad aliquem *zutrinken* **192**
 bis acutus gladius **158**
 bracae *hosen* **5. 189**
 brauium *βραβειον, uictoriae praemium* **137. 139**
 brunellus *asellus* (uid. *Nigelli Wirekeri carmen Brunellus inscriptum*) **141**
 bulla *diploma* **147**
 bullator *bullarum scriptor* **155**
 bursa **155 et saepius**
 byssus *tenue linteum* **147.**
- Calceus** *schuh* **5**
 calere *calefacere* **111**
 caliga *stiefel* **5**
 camisia *chemise* **5. 72. 189**
 canis *talorum iactus infelicissimus* **70**
 canonicus **190**
 canones sanctorum **154**
 canus *senex* **26**
 cantharus *uas uinarium* **67**
 captiuus *miser* **25**
 captiuare *misere habere* **145**
 cardinalis grex **155**
 caritas *Maecenatum* **2. 3**
 castifer *qui flagellum portat ut castiget, h. L. qui carnem castigando molliorem reddit.* **188**
 catholicus **196**
- causam regere *c. agere* **154**
 causari *prozessiren* **154**, aliquid *de aliqua re* **141**
 celebritas sanctorum *festus dies s.* **170**
 cerei motus *facites m.* **106**
 per characterem *per effigiem* **118**
 choralis *qui canit in choro* **191**
 chrisma *oleum consecratum* **152. 159**
 cicuta *rohrpfeife* **123**
 cilia *supercilia* **96. 118**
 cingulum *zona* **5.** *linguae cingula (sing.) uinum dici uideatur* **18**
 cinnama **97**
 clamare *domino* **185**
 clanculo *clam* **142**
 clangere *ertönen lassen* **163**
 clauiger **159**
 claustrales **191**
 claustralia *claustrum* **192**
 claustrum **147**
 clerici **3. 177**
 clericalis ordo **150**
 cleri grex **156**
 clerus **3**
 clodio *knapser, knauser* **192**
 coaptare *accommodare* **51**
 coenobita *monachus* **3**
 colare *culices mücken seihen* **149**
 collecta *tributum, merces* **7**
 columbatim *columbarum more* **97**

- combenno „*benna lingua gallica genus uehiculi appellatur, unde uocantur combenones eadem benna sedentes*“
70
- comestus *contiuuium* 191
- compaginare *coaedificare, einfügen* 151
- compendioſe *per compendia* 55
- compunctio *paenitentia* 53
- concurſus *Veneris certamen pulchritudinis* 16
- conferentes *consulentes inter se* 33
- confortare *firmare* 101
- confundere *verwirren* 19. 27
- congaudere 90. 93. 100. *aliquid* 87
- conſcius *bedächtigt?* 24
- conſistorium *concilium* 154
- conſocii 87
- conſulens *prouidus* 5
- conſummare *complere, perficere* 48
- contemptibilis *utilis* 47
- conterere *zerknirſchen* 53
- contestis *testis* 5
- conuerſus *bekert* 130
- copulae *bande* 29
- cornua *sumere animum sumere* 165
- cornutus *mitra episcopali ornatus* 156
- corona *rasa monachi signum* 3
- coronari *summo praemio ornari* 176
- crastinum *die crastini, cras* 175
- creduli *fide feruidi* 163
- crepare *bersten* 183
- crux *aduersa pars nummi cruce signata* 154
- cuculla *uestis monachica* 147
- *cura *asini fort. leg. culum* 190
- curia *sc. romana* 147. 151. 153 s.
- curialis *urbanus* 22. 132. 194
- cutem *curare corpus curare* 166.
- Dapifer *truchsez* 188
- dare *concedere* 54. *largire* 144. 145
- datius *qui dat* 146. 153
- debibere *bibendo deperdere* 72
- decanus *episcopi uicarius* 26
- *decet *cum datiuo: sic Plautus et Terentius; tamen leg. licet.* 82 (str. 1, 8)
- declinare *sc. a recto itinere* 60
- decreta *pontificum statuta* 154
- decretales *decreta* 3
- deglutire *hinuntergiessen* 19
- deicere *peruertere* 194
- deludere *ludendo deperdere* 72
- deponere (*contrarium restituendi uerbo*) 153. *in ordinem scolasticorum recipere* 12
- deportare *fugare* 101
- derogare *detrahere* 86
- derosare *rosam pulchritudine sua spoliare rosam* 86
- describere *discribere, ordinare* 167
- determinare *theses disputare* 108

detrudere *fugare* 101
 deuotus *de monachis dicitur* 3.
 19
 dextera aetatis *ocasio quam
 dat aetas* 84
 dialectica ars *logica ars* 16. 177
 ex directo 118
 directo lumine 194
 discretissimus *praesul appella-
 tur* 35
 dispariliter *diuerso modo* 184
 dispensare *distendere* 58
 dispersi monachi *qui prae-
 dicandi causa ad omnes gen-
 tes disperguntur ex Matth.
 XXVIII 19 26*
 distortus *prauus* 132
 diuinae litterae *theologia* 168
 dogma 159. 160
 domicella *domina* 102.
 Ecclesia 168
 electus *dicitur episcopus ante
 consecrationem* 42. 170
 elemosina 53
 erogare *flagitare* 86
 eucharistia *missae sacrificium*
 150
 exaltare *erhöhen* 167
 excommunicamen 194
 excommunico 194
 exemplar *perfecta imago* 107
 ex hac *posthac* 25
 exilium *miseria* 178
 exorbitare *aus dem gleise gehen*
 142

explicare (bursas) *entfalten und
 ausleeren* 156
 exul miser 177. 178.

Fabulari *schwätzen* 58
 ferialis *cottidianus* 9
 figura *typus* 48
 figurate *allegorice* 158
 fiscella *scirpea binsenkörbchen*
 147
 flamen *spiritus* 56
 formalia (formaliter) *titulo
 pleno adhibito* 192
 framea *hasta* 159
 friuolus *utilis* 95.

Ganea *lupanar* 142
 gemipomae *papillae* 96
 generalis *locus qui omnibus
 patet (oppositus priuato)* 31
 globus (*pomum uel palla*)
insigne imperii 163
 glorificare 160
 grabatum *lectus* 148
 guerra *guerre* 166.

Haeresis *functio, munus* 95
 hëu *disyllabum* 111. 178
 hëus *dis.* 175
 hic haec hoc *praeponatur com-
 munis generis usurpetur* 4
 hiematus 98
 holus *olus* 186
 hospes *wirt* 31 etc.
 hospitare *hospitio excipere* 4
 hostia *reorum* 54

- hypocritae callidi simulatores
 30. 149
 per hypothesim per praetextum (opp. serio) 95.
- Ianitor 155
 idola gentilium deorum imagines 151
 idolum perfecta imago 95
 ima-summa sc. regna mundi tripartiti 156
 imbursare in bursam recondere 154
 impetere *impetum facere* 167
 impropere improbrare 119
 inclitae uestes superbae u. 170
 indiscreto ohne unterschied 25
 inducere delere, uanum reddere 139
 infernus tartara 180
 in palam palam 119
 insolidus non ualidus 191
 interula interior tunica, camisia 189
 iubilaeus annus 159
 iucundari 30. 126
 iucundulus 195
 iudex supremi iudicii deus 177
 iudices ecclesiae 157
 iugiter continuo, perpetuo 160.
- Laudes diuinae officia ecclesiastica 179
 laicalis 150
 laicus 88. 157
 la sol fa mi re ut notarum
 musicarum nomina petita ex Pauli Diaconi hymno: *Vt queant laxis etc.* 189
 latus colere corpus curare 188
 *lento tempore fort. leg. lento pectore uel corpore 189
 lepra aussatz 151
 leuita sacerdos 3. 150
 lex uetus testamentum uetus 48. 158
 libertini dissoluti homines, bibuli 25
 librare ponderare 139
 licite 136, licenter 143
 locus beutel 156.
- Magnates 11
 magus prudens, sapiens (contr. rudis) 26
 mantellum pallium 170
 marsupium beutel 156
 materies corpus 95, massa 96
 mathematicus 133
 matutina missa matutinalis 4. 5
 matutinale matutina 191
 mediante uere medio uere 123
 medo potio melle mixta 71
 melodia musica 170
 melos citharae 160
 *metuit: leg. uidetur messuit uel meruit 139
 misericorditer 160
 missa messe 179
 memoriale monumentum 194
 mensura modius 4
 mercalis käuflich 150

milites siluani *histrionum species significari uidetur* 26
 modulari *melodisch singen* 161
 molendinum *müte* 49
 monachalis 176. 192
 monachus 26. 175—178. 190.
 194 s.
 mora *maulbeeren* 126
 mordicare *mordere* 50
 morio *hofnarr* 11
 moras facere *uersari* 57
 mundus *ab immundo dictus* 133
 multotiens *saepenumero* 178
 munus *Christi corpus mysticum oblatum in missa* 155
 mystice 53. 158.

N. loco nominis proprii 73.
 177. 179

ne *vij* 63
 nobilis *imperator dicitur* 167
 nouerari *lieblos verfahren* 145
 nuditas *blösse* 170
 *nudo sub aere: *fort. leg. sudo*
 188.
 nugatorius *sine pretio* 150
 nummata *zeche* 25. 27
 nummus *denarius, pfennig*
 nympa *puella* 123.

Obaudire *non audire* 55
 obuiare *resistere* 165
 obulus *obolus* 141
 oeconomus *schaffner* 160

GAUDEAMUS.

ordo 4. 5. 6. 19. 131. 150
 orphanus 173 *liberjs destitutus* 175
 *offensas 130 *acc. pl., non 2. pers. sing. uerbi, nimium igitur falsum est; pro eo quod in cod. Burano est minimum, leg. numinum.*

Pagare *soluere, payer* 155
 paganus 62
 pagina *codex* 9
 pallium *mantel* 5
 palmes *rebschoss* 49
 papare *manducare pappen* 155
 par *maritus* 29
 parca *non est Roma: non parcit* 155
 pare *pari* 28
 passium *quod patitur* 108
 pastorella *pastoralis puella* 126
 patibulum *cruce* 18
 patiens *lassus (opp. lasciuens)*
 101
 peccamen 194
 pensare *reputare* 54
 peregrini *pilger* 163
 pergraecari *perbacchari* 61
 persona *dignitas* 3. 4
 pertransire 49
 peteris *a te petitur* 169
 phantasmata *uisiones, monstra* 4
 philomena 100 s. 125
 philosophus 160
 pileus *hut* 193

14

- pincerna *qui uinum conuiuus*
miscet 20. 25. 31. 180
 piscina *lacus* 45
 placebo *domino uesperarum pro*
defunctis initium ex ps. 114,
 2 184
 placenter *placide* 117
 placet 154
 plecti *amplecti* 100
 plene scire: *plane sc.* 125
 poenitentiam dare *p. imponere*
 42
 poetria *poetica ars* 22. 39
 polorum regna 179
 pontifex 152
 post terga *dare uerba est terga*
praebentis, se recipientis 63
 postulare de aliquo 179
 potare *tränken* 52
 potio *sc. medicinalis, tränklein*
 155
 praebendae *clericorum beneficia*
 148
 praecessor *vorgänger* 159
 praeconia *laudes* 24
 praedicatur ex uino *hostia*
reorum 54
 praelibare *gustare* 24
 praesentialiter *coram, prope*
 110
 praesides *ecclesiae praesules*
 150
 praesul *episcopus uel archiepi-*
scopus 20. 35. 41 s. 158. 194
 praesumere *sibi arrogare* 29
 precamen 160
 presbyter 46. 183 s.
 principari *dominari* 145
 Prior 191
 procantes *procaces, lasciuientes*
 190
 proiciamus *quadrisyllabum* 32
 promptuarium *cella penaria* 47
 propheta 180
 propheta 50
 *propinare *proponere ad biben-*
dum 32, *ad manducandum*
(u. 2 post u. 3 ponatur) 188
 proverbialia 111. 133. 141
 proximo *proxime* 157
 pruinae *loca frigida* 5. 49
 psaltare *psallere* 184
 psalterium 184 s.
 pulmentum *opsonium* 8
 pulsare *bedrängen* 170.
 Quadrans *kreuzer* 147
 qui quo, unde 153
 quinque *sc. Helenaz* 107.
 Rebibere 195
 redarguere *accusare* 37, *de re* 72
 redemptor *erlöser* 161
 refuto *sc. ire* 137
 regulus *basiliscus* 50
 renes *pectora* 82. 151 s.
 reprobare *non probare* 6
 reprobus *inprobus* 6. 134
 reptilia 49
 reserare *exponere* 48
 respectus *achtung* 150
 *reuelatur *fort. leg. reuellatur*
 108

reus *adiectiu. noxius* 165
 rhinosceros 105
 rhythmica ratio 170
 rima *caua loca, spalten* 57
 ripa *grubenrand* 185
 rosa 16, 86, 100 etc.
 rosarius *rosis uel rosea pulchritudine ornatus, rosarum amans* 16
 in rota uolui *torqueri* 110
 ruminare *psalmos (widerkäuen)* 184.
 Sacerdos 3, 149 s. 158, 182
 saccus *uile uel sordidum amiculum* 25
 saccis induuntur *qui spoliantur ludo suis uestibus* 25
 saeculo frui 40
 per saecula 159
 in aet. saecula 68
 ad aeterna saecula 60
 in aeterno saeculo 64
 sal prophetiae 50
 salitare *saltare* 141
 salutare *valet sagen* 87
 sanctuarium 158
 sanguisuga *blutegel* 151
 sapere *scire* 72
 scopae *besen* 181
 scripturae *sc. sacrae, biblia* 158
 scutella *schüssel* 188
 secta 3
 secus *aliter* 175
 sequitur *geht hinterdrein* 5
 serenus *dicitur imperator* 161

siluani milites *uid.* milites.
 siluula *parua situa* 182
 sindon *uestis tenuis* 189
 socialis femina 31
 spolio *qui spoliat* 196
 sponsus *cf. Canticum canticorum* 1,1, 52
 stipula *stramen* 130
 stiuae *praecones rufer am pflugsterz, ackerknechte* 141
 stola beatorum uino *diluitur* 51
 stranguria *harnzwang* 193
 stringere lacrimas *reprimere* L 163
 subnecti *iungi* 100
 subuentio *iuuamen* 6
 suffragium *auxilium, alimonium* 6, 160, 179
 suggerere *suadere* 82
 *ni surgendo fugiam 137 *leg.*
 fugiendo fugiam *cf.* 131 *ex.*
 symposium 65.

Tabacarius 190
 tara tantara teino *tubae sonus* 195
 temporaliter *in hoc saeculo* 160
 tenere *aestimare?* 124
 teri *uersari?* 58
 testamen *testamentum* 191
 thorax *brustlatz* 189
 titubare *uacillare* 59
 torcular *keller* 49
 tortuosus *flezilis* 62
 tractare *conuiuio accipere* 191
 tribulare *uexare* 178

- tympana *pauken* 19
 tunica *rock* 5, 72, 170, 189.
- Vae *bisyll.* 124
 uagabunduli 195
 uagorum ordo *clericorum uagantium, Goliardorum* 4
 uates *poeta aulae* 170
 ueges, uegetis *uas uinarium s. modius s. dolium* 142
 uegetare *beleben* 49
 uesperae *missa uespertina* 179
 uile tenere *parui aestimare* 124
 uilibus *i. uestibus uilibus* 124
 uinculum linguae 122 *cf.* 18
 (*str.* 2, 8)
 uinus uina uinum 20 *cf. hic haec hoc*
 uiror *uiridis color, uiriditas* 118
 ultramarinus 162
- uisionis uallis *Iesaias* 22, 1. 5.
 146
 uocatiuus *qui uocat* 153
 urceus *krug* 65
 usurae *zinsenzalung* 6
 utres uini 65
 *uisitans 161 *corruptus locus; in parenthesi ponantur haec uerba: (propere recursu uisit ad nostrum Latium), ut sereni ad regis, sexus et aetas ad omnis pertineat. In str. 4 autem legatur: nubis tenebrosam amictum, e. e. s.*
- *zizania, orum *lolium, discordia cf. Matth. XIII 25. leg. zizania sumpto in littera* 130
 zila *etc., bohemicorum carminum ignotorum initia* 195.

II NOMINA

- Abraham [133](#)
Aeacus [193](#)
Aegyptia *uxor Potipharis* [131](#)
Aeneas [144](#)
Aeneis [166](#)
Albanum uinum [65](#)
Alethia *uel Alathia „uirgo decora nimis David de semine regis“ pro christiana religione decertat cum Pseuste in Theodoli ecloga* [37](#)
Alexander [169](#)
Ambrosii ciuitas *Mediolanum* [165](#)
Antichristus [159](#)
apostolus [45](#), [73](#)
apostolicus [196](#)
Aprilis [109](#)
Aquae Granae [163](#)
Aristoteles [67](#)
Athesis *Etsch* [95](#)
Atropos [95](#)
Augustinus [142](#)
Augustus *Caesar* [167](#)
Augustus *Caesar Hlotharius* [161](#)
Aurora *Zephyri mater* [107](#)
auster [147](#)
Australes *Austria oriundi* [3](#)
Bacchae [68](#)
Bacchus *saepe*
Baptista *Iohannes* [180](#)
Bauari [3](#)
Benedictus [142](#)
Birria *seruus* [59](#)
Boemi [4](#)
Britanni [67](#)
Caecilia *uirgo amata* [104](#), [118](#)
Caesar *imperator* [149](#), [160](#), [162](#),
[164](#) *s.* [167](#) *s.* [170](#)
Caesares [165](#)
Caesar *Augustus* [161](#)
Caesareus [165](#)
Carolus *Magnus* [163](#), [166](#)
Cato [142](#), *distichorum liber*
Cato inscriptus [72](#)
Cerberus [149](#), [194](#)

- Ceres 104
 Christianus Christiani 26. 62
 Christus 45. 62. 134. 148 s. 150.
 158. 161 s. 163. 180 s.
 Clotho 95
 Codrus *Vrceus poeta* 69. 70
 Colonia 42. 170
 Columbanus *Bobiensis conuen-*
 tus ab illo conditus 163
 Cucaniensis abbas (*Cucania:*
 Schlaraffenland) 73
 *Cumbeor (*corruptum nomen*)
 Fronesis maritus 107
 Cupido 112
 Cyclopæus 165
 Cypris 84.

 Dalida *Delilah* 137
 Dane *Danaë* 112
 Daud 44. 51. 148. 169
 Dauticus 148
 Daulias *hirundo* 10
 Daus *seruus* 59
 Decius *talus, ludi talarii deus*
 5. 73
 Dido 144
 Didymus *Thomas apostolus* 61
 Dionysia *orgia* 177
 dithyrambus 64
 Dodona 110
 dryades 87.

 Elysii campi 193
 Epicurus 71. 152
 Eriny 194
 Eua 134

 Europa *a Joue amata* 112
 eurus 74. 147.

 Falernum *uinum* 10
 Flora *pulchritudinis exemplar*
 126
 Franci 163
 Fridericus *imperator* 164. 166.
 167
 Fronesis *uxor Cumbeoris(?)* 107.

 Gallienus *Galenus medicus* 133
 gemini *sidus* 106
 Germani 67
 Germania 192
 Gota *seruus* 59
 giganteus 165
 Gregorius 141.

 Hashardus *aleatorum deus* 5
 Hecabe *cf. Sueton. Tib.* 70. 76
 Heriger *archiepiscopus Mogun-*
 tinus 912—926. 180
 Hilari *nebulones cf. Cic. ad*
 Att. I 12, 2 76
 Hippocrates 132
 Hispani 67
 Hlotharius (*carmen acrosti-*
 chon) 161
 Hippolytus *Thesei f., castitatis*
 exemplar 37
 Homeriaci *sectatores Homeri*
 64—66. 70
 Homerus 64
 Horatius 74

- Hybla 110
 hydra 131.
- Iacob 51. 54
 Iericho 148
 Ieronymus 141
 Ierosolymita 46
 Iesus 50. 159
 Iezita (*Giesita*) *qui ut alter Iezi (Gehasi) munera accipit* 150
 Indicum ebur 69
 Insubres *Galliam cisalpinam qui colunt* 67
 Iohannes Baptista 180
 Iordanes 46. 48
 Israel 55
 Italia 163
 Ithyphallus *Priapus* 69
 Iuda Machabaeus 166
 Iudaeus 62
 Iuno 106. 144
 Iuppiter 16. 41. 106. 144. 156
 Iuppiter *sidus* 106
 Iustinianus 154
 Iuuenalis 192.
- Lachesis 95
 Lampsacenus *ciuis Priapus* 68
 Leui 148
 Leuita 46
 Lethe 193
 Lia *Lea* 142
 Libanus *Libanon* 164
 Liber 29
 libra *sidus* 106
- Lombardi 165
 Loth 50
 Lucretia 142
 Lyaeus 43. 46. 48. 56. 63. 69
 Lydia *puella amata* 96.
- Machabaeus Iudas 166
 Maecenates 2
 Maguntinensis urbs 180
 Maius 86. 108. 123
 Marchiones *ex marca nescio qua Germaniae oriundi (non „marchae praefecti“)* 3
 Marcus 154
 Maria 142
 Marones 75
 Mars *Veneris amator* 106
 Mars *sidus* 106
 Martha 142
 Martinus *puellae frater* 124
 S. Martinus 169. 179
 martyres 159
 Mediolanenses 170
 Mercurius *sidus* 106
 Moyses 147
 musae nouem 112
 myrica *tamariskenstrauch* 164.
- Naaman 46
 naiades 125
 Naso 9. 21. 39. 60
 Nathan 148
 Nazarenus 45
 Neptunus 95. 106, *pluuium anni tempus* 87
 Nero 146

- Noe 50
 Nummus *uid.* nummus
- Orphëus 149.
- Pamphilus *amator* 130
 papa 149. 155. 197
 Papia *Pavia* 36. 37
 paradisus 33. 125.
 Paris 84
 Parthus 113
 Paulus 51. 160
 Petrus 160. 181
 Pharao 146
 Phoebus 22. 39. 75. 97. 112
 Phoenix 94
 Phosphoros *Lucifer astrum* 11
 Plato 125
 Pliades 85
 Pluto 106. 149. 156
 Potina *dea quae puerorum potui praesidet* 69
 Priapus 69
 Protëus 140. 149.
- Quirites 161.
- Rachel 142
Rainaldus de Dassel, archiepiscopus Coloniensis 1159—1167, Friderici Caesaris archicancellarius 167. 178 s.
 Rhein 17
 Rogerus *puer* 11
 Roma 153—155. 159. 161. 163. 194
- Romani 4. 153 s. 163
 Romanus *populus* 163
 Romanus *princeps* 169
 Romani *reges* 165
 Romuleus 147.
- Samson *Simson* 137
 Sanctorum *canones* 154
 Sancti 170. 180
 Saxones 3
 Sclai 4
 Scylla 133
 senatores 153
 Silenus 68
 Simon *Simoniae auctor* 150
 Sinon 137
 Sion 150. 158
 spiritus *sanctus* 162 *uid.* flamen
 stygia *palus* 134
 Syrus *Iezi (Gehasi)* 151.
- Tartareus 149. 194
 taurus *sidus* 106
 Teutonici 4
 gens *Tëutonica* 16
 Thetis *aqua* 43
 Thomasinus *Codri coniuua* 61
 Timon 146
 Timotheus *ad quem Paulus scripsit* 45
 Tityos 156
 Trebulanum *uinum* 65. 70
 Treuir *Trier* 15
 tribus *xii Iudaeorum* 160
 trinitas 52

Troia 165

Tullius 137. 154

Tulliane 169

Tyndaris *Helena* 107

Tyria purpura 96.

Venus *passim*, *sidus* 106

Veneris idolum 95

Vlixes 169

uirgo *Maria* 108

Vrceus *Codrus*, *poeta italicus* 67.

Waltherus *dictus de Insula*
uel de Castellione, *poeta cele-*
berrimus 156.

Xersi solium 137.

Zeno 137

Zephyrus *filius Aurorae* 107.

III. INITIA ET MELODIAE

Aestuali sub feruore **125**

Aestuans intrinsecus **84**

Meum est propositum.

Alte clamat Epicurus **71**

Amor tenet omnia **91**

Archicancellarie **168**

'A solis ortu usque ad occi-
dua **162**

Aue color uini clari **17.**

Bacche bene uenias **22**

*Fuchs du hast die gans
gestohlen,*

Ref. : Ecce quam bonum.

Caelum non animum **138**

Caesar Galliam subegit **171**

*Modum fecit O. Taubert
Torgauensis.*

Captiuata largitas **145**

Meum est propositum.

Cedit, hiems, tua durities **85**

*Preiset die reben, hoch prei-
set den wein, uel :*

*Wonnig, berauschet ein
schwärmer zu sein.*

Concinamus o sodales **10**

Congaudentes ludite **90**

Studio auf einer reis'

Conuentus iste nobilis **73**

*Der pabst lebt herrlich in
der welt.*

Cum animaduertem, dicit
Cato **72**

Cum „in orbem“ cantatur **3**

Meum est propositum.

Cum tenerent omnia **42**

Meum est propositum.

Dea deo non iungatur **29**

Denudata ueritate **57**

Prinz Eugen, der edleritter.

De pollicito **103**

Dic Christi ueritas **146**

Dulce cum sodalibus **74**

*Modum fecit F. F. Flem-
ming.*

Dulce solum natalis patriae **110**

Dum aestas inchoatur 97

In einem kühlen grunde.

Dum iuuentus floruit 135.

Ecce gratum et optatum 84

Ecce torpet probitas 143

Ego quondam filius 132

Meum est propositum.

Ego sum abbas Cucaniensis 73

Erat quondam dies festus 191

Brüder, lagert euch im kreise.

Exiit diluculo 120

Leise zieht durch mein gemüth.

Exul ego clericus 178

Meum est propositum?

Fleuit lepus paruulus 186

Gestern abend ging ich aus.

Florebat olim studium 140

Bemooster bursche zieh ich aus, (refl. auwê mir wê) uel: Steh ich in finstrer mitternächt.

Florent omnes arbores 93

Rasch von seiner lagerstatt (repetatur Congaudete in fine stropharum) uel: Studio auf einer reis'.

Gaudeamus et agamus 171

Alles schweige, jeder neige.

Gaudeamus igitur 1

Gaudeamus io io uid. Io io

Hauriat Caesar sapiens benignus 160

Integer uitae.

Hériger úrbis Máguntinénsis 180

Hëus, frater, adiuua 175

Gestern abend ging ich aus.

Hospes collaudatur 31

's giebt kein schöner leben als 's studentenleben (u. 4 omnium stropharum abbreviato, str. 7 et 9 omissis)

Huc usque me miseram 119

Húmor letális 114.

Iamiam rident prata 89

Freiheit, die ich meine.

(u. 3 extendatur)

In certaminis procella 198

In dulci iubilo 201

In lacu miseriae 130

In taberna quando sumus 25

In der grossen seestadt Leipzig

Io io, io io! Gaudeamus io io! 64

str. 1 et 2: Alles schweige; str. 3—32 Prinz Eugen, der edle ritter, in fine repetatur str. 1 et 2

Iste scyphus concauus 24

Brüder, hier steht hier statt wein.

Iucundemur socii 30.

Lauriger Horatius 74

Meum est propositum.

- Licet aeger cum aegrotis **149**
- Lingua mendax et dolosa **111**
*In der grossen seestadt
 Leipzig.*
- Lucis orto sidere **121**
- Ludo cum Caecilia **104**
Morgen muss ich fort von hier.
- Lýdia bella púella candida **96**
- Meum est propositum **19**
 = *Ich will einst bei ja
 und nein*
 = *Mich ergreift, ich weiss
 nicht wie.*
- Non contrecto quam affecto
118
- Nonne sumus ad splendorem
 nati **199**
*Sind wir nicht zur herr-
 lichkeit geboren,*
 = *Brüder, zu den festlichen
 gelagen.*
- Nos uagabunduli **195**
- Ó admirábile Vénérís ido-
 lum **95**
- O consocii **87**
- Olim latus colueram **188**
- Olim nostrum ordinem **6**
Meum est propositum.
- Omittamus studia **82**
- Omnia sol temperat **109**
*Leise zieht durch mein ge-
 müth, uel:*
Morgen muss ich fort von hier.
- O' Roma nóbilis órbit et dó-
 mina **159**
- Potatores exquisiti **27.**
- Quibus ludus est animo **182**
Ich bin der doctor Eisenbart.
- Raptor mei pilei **193**
Meum est propositum.
- Referam miraculum **194**
Meum est propositum.
- Rusticus dum nimium **189**
Gestern abend ging ich aus.
- Salve mihi collegarum **76**
*Brüder, reicht die hand
 zum bunde (Mozart), uel:
 Prinz Eugen.*
- Salve mundi domine **164**
Meum est propositum.
- Salvete candidi hospites **11**
Ich bin der doctor Eisenbart.
- Scribere proposui de cón-
 temptú mundáno **129**
- Sequimini o socii **17**
*War einst ein jung, jung
 zimmergesell, uel:
 Mein lebenslauf ist lieb und
 lust (omissa. str. 3)*
- Sic mea fata canendo solor **117**
- Simus hic sedentes **33**
- Si puer cum puellula **116**
- Tempus est iucundum **100**
- Tempus hoc laetitiae **9**
*Studio auf einer reis', uel:
 Brüder, hier steht bier statt
 wein.*

Veni ueni uenias! 102	Vinum bonum et, suaue 17
<i>Frauenburg katholisch ist</i>	<i>Brüder lagert euch im kreise</i>
<i>(leg. tiriliriuos)</i>	Virent prata, hiemata 98
Vere dulci mediante 123	Vitae perditae me legi 136
Vernum tempus est amoen. 28	Vox sonat instar tonitrus 202
<i>In der grossen seestadt</i>	<i>Es braust ein ruf wie don-</i>
<i>Leipzig, uel:</i>	<i>nerhall.</i>
<i>Liebe, wunderschönes leben</i>	Vrbs salue régia 15
<i>(Eichendorf)</i>	<i>Ach, wie ists möglich (omis-</i>
Ver redit optatum 88	<i>sis germanicis uersibus)</i>
Versa est in luctum 156	Vtar contra uitia 152
Vetus error abiit 86 .	<i>Meum est propositum.</i>

Si quis aptiores modulos inueniat, rogatum eum uolumus, ut publicis commodis consulens per scedulam Stephanianam honestissimo bibliopolae eos significet.

CORRIGENDA

6 et 24 *Planctus et Actio: strophae quaternorum longiorum
uersuum instituendae erant.*

99, 2, 7, *leg. ardescunt*

104, 1, 4 *leg. actatis*

123, 2, 6 *leg. metu*

130, 1, 8 *leg. destruis corpus et rem?*

131, 3 c. 4 *leg. cedere, f. f.*

132, 3, 4 *leg. ipso*

praeterea passim aliter distinguendum est.

Im Verlage von **B. G. Teubner** in Leipzig
sind ferner erschienen:

Commerzbuch

für

den deutschen Studenten.

Zwanzigste revidirte und vermehrte Stereotypausgabe.

8. Preis geh. *M.* 2.50, in Leinwand
geb. *M.* 3.25.

Dieses verbreitetste und beliebteste aller Commerz-
bücher enthält:

Erster Theil: Commerzlieder.

Wurfslieder. — Trinklieder. — Vaterlandslieder.

Zweiter Theil: Bummellieder.

Hospitium (Hospizlieder, Trinksprüche, Rundgesänge, Canones,
Lieder bei besonderen Gelegenheiten). — Bummel- und Trink-
lieder. — Liebes-Leid und Freud'. — Abschied und Wander-
schaft. — Anhang.

Der Anhang bietet die aus neuerer Zeit beliebt gewordenen
Commerz- und Bummellieder.

EPISTOLAE
OBSCURORUM VIROBUM,

dialogus ex obscurorum virorum salibus
cribratus,

adversariorum scripta:

defensio IOANNIS PEPERICORNI contra
famosas et criminales obscurorum virorum
epistolas,

ORTUINI GRATII lamentationes obscurorum
virorum

uno volumine comprehensa.

Ad exempla prima recensuit

E. B(öcking).

16. geh. Preis M 4.—

Verlag von B. G. Teubner in Leipzig.

LIBRARY

returne
below.

22001

47 36 11

12 5 73

DEC 6 1974

Stanford University Library
Stanford, California

**In order that others may use this book,
please return it as soon as possible, but
not later than the date due.**



